





Dellquest & Andrews
BOOKSELLERS,





M.
U.S.A
1905

ANDREAE PIQUERII
PRAXIS MEDICA

ANDREAE PIQUERII

ARCHIATRI

PRAXIS MEDICA

Ad usum Scholae Valentinae.

EDITIO TERTIA.

PARS PRIOR.



CUM PRIVILEGIO: ANNO M. DCC. LXXXVI.

MATRITI: Apud BENEDICTUM CANO, Typographum.

Se hallará en casa de D. Antonio Baylo, calle de las Carretas, con las demas Obras del Autor.

Ad Artem Medicam verè ac propriè non pertinere eam disciplinae nostrae partem, quae nimium tribuit speculationibus, hominum est prudenter ac considerate loquentium. . . . Nihil magis à vera morborum cognitione mentem retrahit, quam effraenis illa speculandi disputandique licentia. . . . Non opinandum, sed certo & ostensive sciendum: neque disputandum, sed experiendum, quid natura faciat aut ferat (a).

(a) Balg. *Prax. Medic. lib.* 1. *cap.* 1. *&* 12.

Experimenta huic quidem necessaria operae Graecorum industria, diligentia Arabum, & paucorum inter recentes accuratio suppeditavit. . . . Nec speciosos medicamentorum titulos morbis addidi. Cur? Nihil Arti exitiale magis novi; neque vero ipse ullum cognosco, quin solo tempestivo usu tale fiat (b).

(b) Boerhaav. *Aphor. de Cogn. & cur. morb. Praefat.*

Scholastica itaque praejudicia exuant Medici. . . . . Theoria etenim quà duci se patiuntur, cum hactenus falsa fuerit & adhucdum in multis obscura, aut dubia, minimè praestare potest eam evidentiam & certitudinem quae requiritur, ubi de vita & salute hominum mercandum est, & quam ipsa non habet. . . . Oh! Chymici, Humoristae, Mechanici toties delusi, numquam ne fatebimini cognitionem historicam præcedere debere, & infidam ducem esse Theoriam?

Immensa quæ prostant de medicaminum virtutibus volumina, in quibus ad hunc illumve morbum sanandum certa nobis promittuntur auxilia, nobis inutilia prorsus sunt, &c. (c).

(c) De Sauvages *Nosolog. Method. tom.* 2. *pag.* 1. *Praef. pag.* 5. 7. *&* 8.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

DE MORBIS CAPITIS.



LIBER SECUNDUS.

De Morbis pectoris.

Cre-

CRedidi nempè hactenus & adhuc firmissimè credo, materiam medicam, etsi nulla, quod dictum, librorum penuria sit, ad ordinem decentem, eamque, quae desideratur, perfectionem, nondum perductam esse, sed passim valdè mancam existere, & ulteriori omnino, ac sedula prae reliquis medicinae partibus, egere cultura.

Cartheuser. *Fundamenta Materiae Medic. Praefat.*

Cuncta praeparata, tum Chymica, tum Pharmaceutica stricte sic dicta, quae in hoc opusculo occurrunt, usitatioribus quidem adnumeranda sunt, non omnia tamen, quod in limine fateri haud erubesco, locum inter selecta & activa merentur; retinenda nihilominus & illa fuerunt, quoniam Medicorum plerique iisdem in praxi, quamquam absque ullo emolumento, aut citra perfectam tamen securitatem, frequentissime utuntur.

Idem Pharmacopol. Praefat.

ER-

Errata ita corrige.

Pag. 2 linea 34. *levibis*, lege levibus. Pag. 3. linea 3. *phrentidem*, lege phrenitidem. Pag. 6 lin. 29. *phrenitudem*, lege phrenitidem. Pag. 7. lin. 5. *finiendo*, lege finienda. Pag. 28. lin. 2. *celidi*, lege calidi. Pag. 31. lin. 19. *nascit*, lege nasci. Pag. 37. lin. 17. *modica*, lege medica. Pag. 40. lin. 21. *omnem*, lege omen. Pag. 53. linea 1 *trequentare*, lege frequentare. Pag. 73. lin. 2 *elatius*, lege elatis. Pag. 77. lin. 9. *producendi*, lege producendis. Pag. 95. lin. 33. *pastionem*, lege passionem. Pag. 115. lin. 32. *octionem*, lege coctionem. Pag. 116. lin. 7. *anacaltharsim*, lege anacatharsim. Pag. 139. lin. 18 *paeter*, lege praeter. Pag. 164. lin. 22. *communitissima*, lege communissima. Pag 174. lin. 18. *brevitates*, lege brevitatis Pag. 177. lin. 26. *supersite*, lege superstite. Pag. 191. lin. 21. *Hippocrates*, lege Hippocratis. Pag. 196. lin. 12. *debet*, lege debent. Ibid. lin. 21. *Quoque*, lege Quoquo. Pag. 199. lin. 24. *Quae*, lege Qui. Pag. 205. lin. 7. *collapisis*, lege collapsis. Pag. 219. lin. 3. *vipere*, lege vigere. Ibid. lin. 27. *morbos*, lege morbus.

Alia levioris momenti sphalmata, quae fortè irrepserunt, lector corriget.

LI-



LIBER PRIMUS.

DE MORBIS CAPITIS.

CAPUT PRIMUM.

De Phrenitide.

PHRENITIS ex vi vocis est mentis laesio, quod enim à Graecis *Phren*, à Latinis *mens* appellatur: atque particula *itis* nominibus partium, aut actionum corporis addita, non inflammationem, ut vult Vanswietenius (a), sed morbosam earum affectionem denotat, ut cuivis Julium Pollucem, & Caelium Aurelianum attentè legenti planè constabit (b). Definiri potest Phrenitis: *Delirium stabile cum febre acuta, ortum ducens ex affectione morbosa earum partium quae ad mentis operationes exercendas sunt necessariae.* Cum delirium sit symptoma in actione depravata facultatis animalis principis (c), omneque symptoma procedat à morbo (d), debet Medicus in Phrenitidis examine animum intendere ad morbum generatorem delirii, eumque cognoscere, ut arte naturam juvando, possit ipsum expellere. Jam verò cum omnis morbus consistat in intemperie, organi vitio, aut unitate soluta (e); cum Phrenitis neque organi laesi, neque deficientis unionis sit soboles, reliquum est ut à morbo intemperiei procedat. Ergo tem-

(a) Vansw. *Comm. in Aph.* Boerhav. §. 771. *pag.* 527.

(b) Pollux *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 166. *tom.* 1. *pag.* 235. & *lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 187. *tom.* 1. *pag.* 462. Cael. Aur. *Celer. pass. lib.* 1. *Praefat.*

(c) *Pathol. num.* 59.

(d) *Pathol. num.* 50.

(e) *Pathol. prop.* 2.

temperies vitiata per inflammationem, motum perturbatum spirituum, & partium certam corruptionem (a) est morbus proximè & per se phrenitidem inducens. Inflammatio hujus delirii causa rarò est phlegmonosa, saepè phlogistica (b), speciali vi laedens. Partes quas haec inflammatio occupat, quae propterea *partes affectae* dicuntur, sunt cerebrum, cor, septum transversum, ita tamen ut quaelibet earum inflammata phrenitidem generare possit, omnes quippè ad mentis operationes exercendas conferunt (c). Expedit igitur Tirones in phrenitide inspiciant, an aliqua ex his partibus laboret seorsim; an omnes simul, ut eis aptè succurrere valeant. Phrenitis alia est completa & perfecta: alia imperfecta seu incompleta. Prima est, quae veluti symptoma epiphenomenon (d) morbum ab initio comitatur, atque adeò aegri ab ipso morbi exordio delirant. Secunda est, quae velut symptoma epigenomenon (e) in morbi progressu supervenit, ut fieri solet in febribus ardentibus, malignis, aliisque hujusmodi affectionibus, quae in deterius abeuntes deliria phrenitica inducere aptae nataeque sunt; haec tamen differentia de phrenitide cerebri, cordis, septi transversi veré dici, seu ut Scholae loquuntur, aequè verificari potest. Igitur necesse non est ad phrenitidem veram, ut delirium sit continuum, cum rarò delirent aegri ab initio sine interruptione, saepè autem distinctis intervallis; quod maximè notandum, quia Tirones dum aegrum febre acuta laborantem vident sine delirio manifesto, etsi ad id per certa imminentis laesionis mentis indicia magnoperè propendere agnoscant, phrenitide minimè affici judicant, cum notum omnino sit non nisi in phrenitide vehementi delirium cum febre apparere, saepè autem licèt phrenitis vera sit, neque citò delirium generare apertum, neque continuum, sed potius intervallis distinctum; quod cum verum sit, in phrenitide delirium esse stabile atque permanens, hoc est, non facile dissolubile, observatione discimus, eoque solo nomine ipsum á levibis mentis laesionibus distinguimus, quae in quarundam febrium benignarum accessionibus supervenire so-

(a) *Pathol. num.* 59.
(b) *Pathol. num.* 59.
(c) *Pathol. num.* 59.
(d) *Pathol. num.* 51.
(e) *Pathol. loc. citat.*

solent (a). Neque verum est ex morbo septi transversi, cordis, partiumque vicinarum paraphrenitidem fieri, non veram phrentidem, quia supradictarum partium affectionibus morbidis vera atque legitima supervenit phrenitis (b), eaque nominum diversitas, quae Galeni tempore increscere coepit, Hippocrati, & vetustissimis Graecis incognita, sine incommodo retineri potest, dummodo phrenitidis nomen vehementi & completae, paraphrenitidis levi phrenitidi adaptemus. Ergo quae septi transversi, cordis, & cerebri affectibus supervenit phrenitis, licet non ab ipsis initiis comitetur aperta mentis laesio, vera & legitima phrenitis est: quod intelligi etiam debet de hepate, partibusque diaphragmati vicinis: de pulmone ob viciniam cordis, & aliis hujusmodi corporis particulis ob earum mutuum consensum & communicationem (c). Differentias ex qualitate ac forma delirii desumptas hìc omittimus, quippe eas satis in Pathologia discussimus. Causa proxima seu (ut in Scholis dicitur.) *immediata* phrenitidis est morbus intemperiei vitiatae, scilicet inflammatio sicca, motus perturbatus spirituum, & certa corruptio humoris nativi partium. Haec inflammatio raro est phlegmonosa, hoc est, cum tumore, saepè phlogistica, hoc est, calore urente atque speciali praedita: quod benè notent Tirones adversus quosdam Galeni sectatores, qui, reclamante experientia practica & anatomica, omnem phrenitidem ex phlegmone cum tumore deducunt. Vallesius primum monuit, deinde Heredia, saepè visas membranarum cerebri inflammationes sine phrenitide, atque inter Graecos Paulus egit seorsim de phrenitide, & de cerebri inflammatione, quod postmodum fecisse videmus Petrum Salium in eleganti & utili *de affectibus particularibus* tractatu (d).

Causa occasionalis morbi phrenitidem generantis est ple-

 tho-

(a) Vide Valles. *Comm. in lib.* 1. *Epidem.* Hippocr. *sect.* 3. *text.* 76. *pag.* 21. *&* *Illustrat. nostr. in Hippoc. Epidem. li.* 1. *stat.* 3. *tex. VIII. pag* 117. *seq.*

(b) *Pathol. num.* 59.

(c) *Pathol. loc. citat.*

(d) Valles. *Comm. in lib.* 5. *Epidem.* Hippocrat. *text.* 47. *pag.* 252. Hered. *de Morb. acut. sect.* 1. *disp.* 1. *cap.* 1. *&* 2. *pag.* 2. *seq.*

thora seu nimia copia sanguinis propè septum transversum, cor, aut cerebrum circumfluentis: obstructio vasorum praedictas partes circundantium : diathesis specialis partium affectarum ad delirium producendum opportuna. Ex his causis occasionalibus saepè adest plethora, saepissimè obstructio, perpetuò autem diathesis; fieri enim aliquando potest, etsi raro contingat, phrenitis sine plethora & obstructione, sine diathesi nunquam (a). Haec diathesis in se ipsa, seu ut Scholae loquuntur, *à priori* incognita est; per effectus tamen seu, ut dicitur, *à posteriori*, intelligimus, secum vehere acrimoniam, cum calore, siccitate, & speciali corruptione partium affectarum conjunctam (b). Causa efficiens phrenitidis, & quidem pessima est aër, quandoque nimio aestu aliisque sensibilibus qualitatibus inflammans, saepè occulta & *divina* vi (c) corpus ita afficiens ut morbos cum delirio producat. Sic Hippocrates non modò observavit phreniticos aegros fieri certis temporum constitutionibus, sed in ipsa phrenitide varietatem specialem pro earum diversitate notavit (d). Ad hanc causam referuntur exercitia immodica sub solis ardoribus, capitis contusiones, vulnera, aliaeque externae affectiones. Sunt etiam causa phrenitidis venena aliqua ut stramonium, hyosciamus, morsus quorundam animalium (e) : copia alimentorum & potuum calidorum: medicamenta in morbis longis importunè data sub praetextu diggerendi, dissolvendi, aut evacuandi crassos humores. Quartana correptos vidi ob purgantia, diuretica, amara, spirituosa medicamina improvidè assumpta in phrenitidem incidisse lethalem. Animi pathemata ira praesertim ac diuturnus moeror phrenitidem efficere solent.

His positis historiam phrenitidis contexere oportet. Igitur aetas juventutis, & consistentiae sunt omnium huic affectui accommodatissimae, atque viros potius quàm faeminas adoritur, eosque praesertim, qui curis, aestuationibus, & laboribus corpus, & mentis sedem quovis modo inflammarunt. Quod si his accedat temporis constitutio huic morbo accommoda, qua-

(a) *Pathol. num.* 59.
(b) *Pathol. loc. citat.*
(c) *Pathol. num.* 40.
(d) *Vide Illustr. nostr. ad Hipp. epid. l.* 1. *stat.* 3. *text.* 8. *p.* 117. *seq.*
(e) *Pathol. num.* 42.

qualis vere & aestate saepe fieri solet, facilè aegrotantes in phrenitidem delabuntur. Incipit hic morbus levi corporis refrigeratione seu horrore: sequitur febris, tactu lenis, re ipsa acuta & continua: pulsus parvi, celeres, densi, duriusculi: urina flammea, sine sedimento, saepè tenuis, raro crassa instar jumentorum: mingendi conatus molestus: caput vehementer dolet modò in occipite, modò juxta sinciput: vigilia tenax: quod si quis somnus obrepat, tenuis is est, turbulentus sic ut interrupta, nullo negotio, quiete, protinus evigilando aeger cum perturbatione excitetur: lingua humida albescens, quandoque cum virore pallida: sitis pauca, interdum ferè nulla: febris singulis diebus incrementa suscipit circa meridiem, ac remissiones habet, saepe maximas, sed fallaces, horis matutinis. Interim expeditior sermo quàm sano congruit: subita imprudensque loquacitas, aut taciturnitas: gestus, membrorumque motus incontinentes: oculorum agitatio vehemens, occultam mentis emotionem subesse monstrant. Increscente morbo (quod circa diem quintum aut septimum fieri solet), febris siccior, interius urens, exterius lenis, seu, ut loquitur Caelius Aurelianus (a) difficilè ad superficiem corporis ascendens. Lingua, circa medium, lineam siccam, asperam & nigricantem habet, lateribus adhuc humiditate perfusis: urina minus flammea: facies subtumida, tristis, livescens: alvus fluida excrementis paucis, biliosis, acribus: cutis arida: pulsus eodem modo: oculi inflammati, cruenti, ardentes, lachrymosi cum lamiis: convulsiones, subsultus tendinum subobscuri: mens aperte delirans, vel in re, vel in modo, aut in tempore, ita tamen ut aliquando imaginatio tantùm laesa sit, aliquando etiam ratiocinatio, quandoque levibus intervallis sui sit compos. Sub hoc tempus sanguinis stillae apparent. Ad haec, verba nullo ordine, nullo sensu loquuntur aegri: interdum tumultuosè aut temerè respondent, etsi antea fuerint mansueti. Accedit, ob mentis alienationem, oblivio, ut laborantes aliqui cum matulam petierint, mejere negligant, neque caetera quae dixerint, aut quae fecerint, recordentur. Praecordia sursum revulsa: capitis siccitas quae statim ebibat fomenti liquorem: levis sur-

(a) Cael. Aur. *Acut. mor. l.* 1. *cap.* 2. *p.* 12. & *cap.* 3. *pag.* 14.

surditas. Morbo ad statum accedente, quod circa diem nonum aut undecimum ferè fit, praedicta exacerbantur & augescunt. Lingua tumida, ex toto sicca, nigricans, aspera, hiulca: sermones obscuri: urinae tenues, aquosae, pellucidae: pulsus parvissimi, celerrimi: respiratio magna & rara: mens usque adeò laesa, ut aeger perpetuo fere deliret, nec nisi intervallis paucissimis, aut ferè nullis ad se redeat: manibus tremebundis festucas carpit, & floccos evellit: modò furore & strepitu exiliens exclamat, sese percutit aut adstantes, nihilque absurdum & insolens non intentat: modò tacitus, & secum ipse mussitans falsa quiete, obscurè & tremulè palpans insanit: post haec in somnum delabitur ita gravem, ut phrenitidem in lethargum transire credas. Phrenitis morbus est periculosissimus, nec semper lethalis. Ergo dum hoc tempore in deterius vergit morbus, ea omnia continuò afligunt, tum supinus jacet aeger, ex parte lecti superiore sua sponte ad pedes delabitur, atque cooperimenta ab inferioribus ad superna indesinenter retrahit: facies cadaverosa: pulsus parvissimi, obscuri, deficientes: sudor subfrigidus circa caput & frontem, glutinosus: alvus supprimitur. Quibusdam singultus: deniquè vehementibus convulsionibus, sudoribus frigidis, sensuum & mentis omnimoda abolitione celeriter moritur. Quod si morbo in summo vigore constituto sudor adveniat totius corporis, sed praesertim capitis, calidus, guttatim profluens cum aegri conferentia: alvus biliosis, crassis cum tolerantia fluat excrementis: sputationes pituitosae satis frecuentes confertim appareant: aut sanguis ex naribus ubertim effluat, sanitas, stato tempore, expectanda est. In alium etiam morbum mutari solet phrenitis, quemadmodum alii morbi in phrenitudem transeunt. Igitur si in statu phrenitidis sopor altus aegrum teneat: pulsus ex parvitate in altitudinem ita vergant ut sint inanes: facies tumeat cum livore: extrema corporis cum torpore frigida sint,tunc lethalis lethargus imminet. Si verò febre acuta cessante aeger ad se redeat, interimque per intervalla satis magna deliret, atque per multum tempus ita se habeat, quin malum multum periculi fovere videatur, tunc transit in phrenitidem lentam, quam Galenus non ineptè phrenitidem *hecticam* appellabat (a),

quae

(a) Galen. *Comm.* I. *in lib.* I. *Prædict. Hipp. text.* 33.

quae rarò in salutem, saepè, licèt longa mora, in exitium terminatur. Phrenitis morbus est acutus modò septimo die, modo decimoquarto finiens, saepè ad vigesimum, non rarò ad vigesimumseptimum, & plus eo se extendens. Ex majori celeritate & vehementia symptomatum quandonam finiendo sit, Medicus sagax intelliget.

Cum omnium morborum curatio sit opus naturae (a), nec Medicus aliter possit morbos depellere nisi naturam juvando, ut artis auxiliis suffulta facilius hostem á se abigat, necesse est artificem omni cura debere in phrenitide sananda animum intendere ad eos intelligendos motus, quos natura pro ea debellanda, propriaque conservatione sustinenda exercet. Jam verò tria oportet prae oculis habere ad hunc scopum ritè attingendum. Primùm: numquam naturam, neque artem quocumque adhibito molimine in principiis seu primis diebus, phrenitidem extinxisse, quin potius per leges coctionum, statis temporibus, ac maturatione accedente, id opus perficere (b). Secundum: naturam sibi relictam nullisque artis auxiliis adjutam phrenitidem saepius vicisse per sudores ex toto corpore guttatim effluentes, sed praesertim ex capite: per sanguinis ex naribus, vel haemorroidibus copiosum fluxum: aut per solutam alvum crassis, foeculentis, biliosis excrementis. Tertium: partem primariò affectam omni opera esse inquirendam, etenim ista quae phrenitidem solvunt, varietatem aliquam prae se ferunt, juxta affectorum locorum differentiam. His addere oportet considerationem causarum occasionalium, & efficientium; nisi enim ea omnia attentè pensitando Medicus secum ipse cogitet, & accuratè conferat, non naturam juvare, sed ipsam potius turbare sciet. Ergo si phrenitidem curare aggreditur, cujus praecipua sedes sit in capite, in ipsis morbi initiis ad totius corporis, partisque affectae plethoram tollendam citò debet brachii venam secare bis aut ter, pro virium, aetatis, & morbi ratione, ita tamen ut multum sanguinis non extrahat, cum haec affectio ob laesos nervos magnas sanguinis extractiones minimè patiatur. Interim clysteribus ex aqua, oleo, & saccharo singulis diebus est alvus eluenda, quod ante morbi

(a) *Pathol. Prop. VI.* | (b) *Pathol. Prop. IV.*

bi vigorem est agendum, nimius namque clysterum usus aegro jam lascessito vires prosternit. A cibo quocumque est abstinendus aeger, nec nisi jusculis es arietina carne, pullo gallinaceo, additis hordeo, aut avena, est reficiendus. Leves etiam frictiones partium inferiorum pro re nata adhibendae, mirum enim quantum vim morbi à superioribus partibus retrahant. Neque spernenda est capitis refrigeratio appositis syncipiti linteis succo consolidae majoris aqua verbenae immixto madefactis. Nitrum purum aquae magna copia dilutum saepe & repetitis vicibus est propinandum. Crescente morbo & ad vigorem properante, hirudines retrò aures appositae magno praesidio sunt. Tunc temporis cum haec affectio summam inducat in corpore arescentiam, singulis jusculis addere oportet unciam olei amygdalarum dulcium sine igne recentissimè extracti, etenim humectat mirificè, atque alvum emollit. Nec Tirones deterreat inflammabilitas, quam inexperti homines & hypothesibus addicti huic oleo tribuunt, cum experientia, natura ipsa duce, hos conatus invalidos omninò destruat. Sub his temporibus jusculum, loco hordei aut avenae, scorzoneræ radice debet alterari. Neque timendus tunc vesicantium usus, si morbus in lethargum nimis pronus fiat. Quod si quidpiam interius assumere congruens videatur, pauca, simplicia, & temperantia medicamina, ex vegetabilibus praecipuè parata, praescribantur. Sic decocta taraxaci, cichorii, pimpinellae, cum floribus cordialibus: aut florum sambuci, malvarum, papaveris erratici infusio cum sero lactis ex uso esse possunt. Pulverem de gutteta, marchionis, imperialem, aliaque hujusmodi medicamenta parùm aut nihil prodesse in hoc morbo experientia didicerunt viri gravissimi (a). Imò nullum hucusque inventum esse remedium propria & specifica, ut vocant, vi huic morbo accommodum, dolentes fateri cogimur. Ergo ea quae generalibus vitiis corrigendis prosunt, perita arte tractata & docta manu praescripta, sunt tantùm à Medicis expetenda. Igitur, si morbo in summo symptomatum vigore constituto, vi naturae sudores, alvi fluxus, sanguinis eruptiones cum conferentia, & tolerantia fiant, nihil tunc efficiendum; praestat

(a) Vide Ant. de Haen. *Rat. medend. part.* 1. *cap.* 2. *pag.* 12.

tat enim Medicum spectatorem, quàm inquietum perturbatorem agere. Si verò sub eo statu, ob collapsas vi morbi vires, nequeat natura praedictas evacuationes moliri, ex re erit eam temperanter roborare iis medicamentis, quae neque nimis calefaciendo, nec nervos irritando naturam aliquantulum excitant. Potiones ergo ex confectionibus, quas cordiales vocant, adjunctis aquis theriacalibus sub modica dosi, syrupo betonicae, aliisque hujusmodi remediis, ex usu esse possent.

Si phrenitis sedem praecipuam habeat in septo transverso partibusque ei proximis, eadem facienda sunt, hac tamen lege, quòd vitiosarum sordium in primis viis hospitantium & ad delirium suam opem conferentium (a) magna sit habenda cura. Igitur si attentè perlustratis hypocondriis, quod in hoc morbo faciendum necessariò est, ea sint tensa, elevata, aut intrò revulsa, & dolentia, exteriùs applicanda emollientia & temperantia, ut vesica bubula lacte calido impleta, lintea succo agrestae & butyro imbibita, aut ipsum vervecis recens mactati omentum. Sed si aeger, mollibus hypocondriis, oris amaritie ac insuavitate, lingua nimium viscida & molli, aliisque signis ostendat magnam esse in visceribus obstructionum copiam cum plethora conjunctam, omni opera incumbendum, ut post venae sectiones ante diem quintum morbi, tum per vomitum, tum per alvum humorum corruptorum sarcina aeger liberetur; nam etsi ita non tollatur morbus, mitior tamen redditur, atque natura alacriter quod reliquum est superare, & concoquere pergit. Purgantia, & emetica ad id opus perficiendum minimè conferunt, quamvis inter benigna recenseantur, qualia rhabarbarum, folia senae, manna, pulvis tartari emetici, radicis dissentericae apellari solent, haec enim medicamina utpote irritantia, neque omnis virulentiae expertia, in hoc morbo penitus exulare debent. Eorum loco oleum amygdalarum dulcium cum uncia oxymellis ex hordei dococto tepidè praescriptum vomitum blande excitat. Idem amygdalarum dulcium oleum ex aqua malvarum calidè copia sufficienti datum quandoque vomitu, saepe dejectione, non raró utraque via ventrem expurgat. Adde, quod praedicta purgantia hu-

(a) *Pathol. num. 59.*

mores vi morbi productos evacuant, inflammationem partium earumque vitiatam diathesim, tum irritando, tum corrumpendo, augent & exasperant. (Physiol. 89.)

APHORISMI.

I.

Si in febre acuta tria haec jungantur: agitatio calidorum humorum: eorum raptus in caput: eorundem malitia (intellige pravam & specialem diathesim), *necessariò phrenitis spectanda est.* (a).

II.

Perrarum est, à primo febris die, ac multó minus à primò insultu, Phreniticum fieri (b).

"Nos quidem vidimus (inquit Galenus) qui phrenitide primo statim die unâ cum febre perciti essent intra septimum diem periisse, per paucos, & hos raros eum diem excessisse (c)." Videnda Historia Hippocratis lib. 3. Epidem. sect. 3. aegrot. 4.

III.

Lingua ex resiccatione densa & aspera phrenitidem portendit. (d).

Ex hac Hippocratis observatione discimus linguam mole auctam cum ariditate & resiccatione delirium significare, quod nedum in acutis affectionibus, sed in longis, dum ad pejora tendunt, contigisse vidi, ita ut iis ad mortem properantibus, post linguam densitate & asperitate vitiatam, mentis laesio sequatur, quod in magna virium imbecillitate mortem non longè abesse praemonstrat (e).

IV.

Quibus urinae pellucidae, albae, malae. Maximè autem in phreniticis observantur (f).

V.

(a) Martian. *Comment. in Praed. Hippocr. vers.* 6. *pag.* 491.

(b) Valles. *Comment. in l.* 1 *Epidem. Hipp. sect* 3. *text.* 76.

(c) Galen. *Comment. III. in lib. III. Epidem. Hipp. text.* 75.

(d) Hippocr. *lib* 1. *Praedict. sent.* 3.

(e) Hippocr. *lib.* 1. *Praedict. sent.* 8.

(f) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 73.

V.

Albicans in phreniticis dejectio, mala (a).

Certum est diaphragma & hypocondria ad urinas & alvi dejectiones plurimum conferre non modo ob vicinitatem intestinorum, renum, & vesicae, sed quia omnes istae partes mutuam operam in exercendis propriis muneribus sibi praestant (Physiol. Prop. XII.) Si phrenitis ex inflammatione septi transversi, partiumve vicinarum fiat, duplici modo urinas & alvi excrementa vitiat: aut harum partium nativam constitutionem invertendo: aut eas extremè debilitando, earum vim in urina & foecibus immutandis (Physiol. 83) corrumpit, aut destruit. Si vires satis validae sint, neque symptomata nimium vehementia, tum urinae pellucidae, tum alvi dejectiones albicantes, periculum, nisi sanguis fluat è naribus: si viribus deficientibus, morboque multum saeviente haec fiant, mortem significat (b).

VI.

A Peripneumonia phrenitis malum (c).

"Sanè (inquit Galenus) fieri potest ut etiam corde affec-„to, phreniticus quis efficiatur (d), & quidem rectè cum cor ad eliciendas mentis operationes plurimum conferat. (Physiol. 189.), sicut septum transversum. Ergo si pulmonibus inflammatione maligna vexatis, ad cor aut diaphragma extendatur malum, phrenitis inde sequetur semper periculosissima.

VII.

Ex phreniticis alii hilares, alii tristes sunt: alii facilius continentur & intra verba desipiunt: alii insurgunt, & violenter quaedam manufaciunt: atque ex his ipsis, alii nihil nisi impetu peccant: alii etiam artes adhibent (e).

"Semper (inquit Vanswietenius) magna cautela adhibenda „est, quia & tacita illa & tranquilla phreneticorum deliria „subito quandoque in immanem furorem mutantur. Sic me-„mini hortulanum tertia die phrenitidis veræ in qua tacitè

(a) Hipp. *lib.* 1. *Praedict. sent.* 13.

(b) *Vide Illustrat. nostr. ad Hipp. Prognost. sect.* 2. *text.* XXXII. *pag.* 143. *& sequent.*

(c) Hipp. *lib. VII. Aphor. sent.* 12.

(d) Galen. *Method. Med. l. XIII. cap.* 21.

(e) Cels. *de Med. l.* 3. *c.* 16. *p.* 149.

„tantùm delirabat, & floccos carpebat, uno momento lecto „exiliisse, & celerrimo cursu adscendisse in superiorem do„mus partem, deque fenestra praecipitem se dedisset miser, „nisi uxor advolans retinuisset; dumque illa cum marito luc„tatur, & vicinos in auxilium vocat, convellitur aeger, & „moritur subito (a)."

VIII.

Omninò conandum tandem est ex secta in fronte vena sanguinis misionem moliri: ego sanè magna adeò phrenitide correptum curavi (b).

IX.

Sunt qui venas colli (jugulares) *incidunt, verisimileque est eos juvare cum sanguis copiosior ad caput confluit, atque idcircò veluti inflammationem in cerebro concitat* (c).

"Certè in phrenitide (inquit Freindius) quae febribus su„pervenit, medicinam hanc quammaximè efficacem esse exper„tus sum, cum alia remedia minus commodè responderint (d)."

X.

Alia dehinc diatrito (post septimum morbi diem) *rasis partibus cucurbitam apponimus occipitio mitiganter, atque sub ipsa fronte sanguisugas facimus inhaerere quatuor vel quinque* (e).

"Neque alienum est (inquit Celsus) si neque sanguis an„te missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, „occipitio inciso cucurbitulam admovere, quae quia levat mor„bum, potest somnum facere. (f)."

XI.

Venae quoque incisor ne multum sanguinis detrahat, licet à principio secet; phreniticis namque malum est in syncopam facilè mutabile ..... verumtamen audacius vena solvenda est, si à praecordiis, non à capite morbus oriatur (g)

XII.

Omni ratione vigilias excindere, somnumque accersere oportet,

(a) Vansw. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 773. *tom.* 2. *pag.* 539.

(b) Alex Trallian. *l.* 1. *cap.* 13.

(c) Actuar. *Meth. medend. l.* 3. *c.* 1.

(d) Frenid. *Comm.* 2. *in Hipp. Epid. de Febrib. pag.* 11.

(e) Cael. Aurel. *Acut. morb. l.* 1. *cap.* 11. *pag.* 30.

(f) Cels. *de Medic. lib.* 9. *cap.* 18. *pag.* 113.

(g) Aret *de Curation. Morbor. acut. lib.* 1. *cap.* 1.

tet, quod solum & maximum est delirantium & cujusvis morbi remedium (a).

Si phrenitis in lethargum prona sit: vires sint imbecilles: humor pituitosus multum redundet, cavendum ab opiatis & somniferis "multaque moderatio hic quoque necessaria est, „ne quem obdormire volumus, excitare postea non possimus(b), „Sed si phrenitici pernoctant, neque interdiu sopiuntur, sed „penitus intenti sunt oculi atque instar cornu rigentes, jac„tantur autem & è lecto prosiliunt, iis somnus & quies conci„liandi sunt (c)." Veteres Medici observatione edocti somnum arcessebant delirantibus per medicamenta exterius applicata, nec interna nisi multum urgente malo validisque viribus praescribebant. Lotio pedum ex aqua cui lactuca sit incocta: odor opii vino dissoluti: capitis perfusio ex aqua herbis temperantibus, & emollientibus alterata, somnum blande & sine ullo discrimine inducere possunt. "Si vigiliae ultra febrem excur„rant (inquit Sydenhamius) cessantibus aliis symptomatibus, „observavi, linteum in aqua rosarum immersum & frigidè „syncipiti ac temporibus applicatum, plus quam narcotica quae„vis prodesse (d)." Sunt qui lac capite applicandum consulunt: ego vero capite dolentibus quovis modo lac laedere cum Hippocrate sentio (e). Unguentum populeum à quibusdam pro somno conciliando laudatur: sed nimia somniferorum id componentium vis timenda in eo morbo qui nullo negotio ex vigilia in somnum lethalem transit. "Populei si „usus fuerit (inquit Nicolaus Piso) recens esse debet, nam „antiquum hoc unguentum calefacit, tantum abest ut refrige„ret(f)." Quod si ad exhibenda, medicamenta confugere necessitas cogat, à levioribus incipiendum ipsa ratio suadet. Ergo emulsiones ex seminibus frigidis, sed praesertim ex semine papaveris albi paratae, sunt propinandae, priusquam ad medica-

(a) Alex. Trallian. *lib.* 1. *cap.* 13.

(b) Cels. *de Medic. lib.* 3. *cap.* 18. *pag.* 153.

(c) Aret. *de Cur. morb. acut. lib.* 1. *cap.* 1.

(d) Sydenh. *Observat. Medicar. sec.* 1. *cap.* 4.

(e) Hipp. *lib.* 5. *Aphor sent.* 64.

(f) Nicol. Pis *de Morb. cognoscend. & curand. lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 75.

camina ex opio (laudanum vocant) parata procedamus, ea enim non nisi magna urgente necessitate, validis viribus, summaque moderatione, praescribenda.

CAPUT SECUNDUM.

DE MELANCHOLIA ET MANIA.

MElancholia & mania duo sunt vocabula eundem morbum significantia, diversis animi affectibus comitatum; nam cum mens laesa timore & tristitia agitatur melancholicum, dum furore & audacia maniacum aegrum dicimus. cum tamen idem morbus easdem afficiens partes idemque vitium praeternaturale includens, alternis vicissitudinibus, nunc furorem, nunc timorem, cum mentis laesione producat. Est igitur affectio melancholico-mainaca: *Mentis laesio, nunc timore & maestitia, nunc furore & audacia, saepè sine febre, quàndoque febre minimè acuta sed levi, conjuncta.* Partes affectae sunt eaedem ac in phrenitide, cerebrum scilicet, cor, & septum transversum, ita tamen ut in his quandoque ab ipsis initiis haereat malum, non rarò ab aliis, sed praesertim ab hypocondriis communicetur. Haec affectio symptoma est in actione depravata facultatis animalis principis. Morbus hujus symptomatis generator est eadem partium affectarum intemperies & vitium quod ad phrenitidem inducendam concurrere diximus, eo tamen discrimine, quod labes morbosa in phrenitide celer sit & acuta, in melancholia & mania segnis & lenta. Sed quodnam est speciale illud & determinatum partium vitium quod mentem in his morbis laedit? Nescire id nos fatemur; atque meminerint Tirones oportet, ut in generali Pathologia monstravimus, morbos in se ipsis minime nobis manifestari, sed tantum per symptomata, & effectus in corpore apparentes patefieri (Patholog. 3.). Id tantum scimus, in mentis laesionibus praedictas partes offendi: in iis adesse inflammationem: igneam, celerem, & acutam in phrenitide; lentam & segnem in melancholia & mania. Cum verò in singulis inflammationibus specialis sit laedendi vis, etenim in ipsarum qualibet diversus est inflammationis modus (Pathol. 36.), inde colligimus particularem & determinatam esse af-

affectionis morbosae indolem in partibus affectis, cujus praesentia mentis operationes necessariò laeduntur.

Causa occasionalis hujus affectionis est plethora, ea potissimum quae ex suppressione consuetae excretionis sanguinis per hemorroides, uterum, aut nares cumulatur. Obstructio quæ fit ob suppressionem evacuationis solitae per alvum, os, aures, nares, fonticulos, aut ulcera cutis; seu per humorum corporis extremam superficiem occupantium ad interiora pulsum, maximè ad hunc morbum disponit. Sed diathesis ad idem plurimùm facit, ea praesertim quae à principiis generationis, temperamento, aetate procedit. Etenim qui à parentibus hoc morbo laborantibus nati sunt, facilè in eum postea incidere solent, nulloque negotio in his hominibus haec affectio generatur, quibus temperamentum in humoris atri generationem inclinat, & aetatem consistentiae attingunt. Diathesis etiam, quae per morbos praegressos in partibus corporis & humoribus relinquitur, ad affectionem melancholico-maniacam inducendam plurimum confert. Sydenhamius post tertianas autumnales maniam supervenientem observavit, solo usu roborantium sanabilem (a). Atque meminisse oportet humorum vitia in eorum parte spirituosa potissimum consistere, quod in morbis mentis maximè est notandum, quoniam ab spiritibus ejus actiones praecipuè fieri, ex physiologicis abundè constat (b). Causa efficiens hujus morbi est aër peculiari vi corpus immutans. Sic quibusdam annis ob temporis constitutionem potius quàm aliis eum vigere videmus; imò & singulis annis vere & autumno maximè ingruere ex Hippocratis observatione novimus (c). Altera causa efficiens est diaeta, etenim improvidus alimentorum, ex carnibus praesertim, usus, & potuum calidorum maximè hunc morbum creant. Exercitatio vehemens sub sole: nimia in studiorum ratione solicitudo: venena & ingesta, propria atque insita vi mentem laedentia ut hyosciamus, strammonium, aliaque hujusmodi hanc affectionem inducunt. Nec fidant Tirones pollicitationibus

quo-

(a) Sydenh. *Observ. Medic. sect.* 1. *cap.* 5. *pag.* 16.

(b) *Physiol. Prop. XXI. num.* 94.

(c) Hippocr. *lib.* 3. *Aphor. sent.* 20. *&* *sent.* 22.

quorumdam hominum haec medicamina speciosis observationibus in usum adducentia, etenim numquam licet aliter aegros quàm *tutò* tractare, saepè enim datum non est citò & jucundè, perpetuò autem jubemur tutò curare (a). Sed omnium maxime ad affectum melancholico-maniacum producendum conducunt animi pathemata maeror, desperatio, aliaque hujusmodi, quae animum continuò agitant & perturbant.

Cum omnium morborum effectus communes sint vitium jactura & cacochimia (b), advertendum arbitror, in phrenitide vires nimium labefactari & omnes bilis praeternaturalis, sed potissimum porraceae species vi morbi produci. At in affectione maniaca, licet vires animales principes laesae admodum sint, eae tamen quibus sensus & motus exercentur sub morbi initiis augescunt, ut mirum sit maniacos nec frigoris, nec caloris molestias sentire, & ad inordinatos quoscumque motus multo robore exercendos esse aptiores. Caeterum humores generant, praesente morbo, pituitosos, crassos, calidos, & in bilem atram (c) nullo negotio transeuntes.

Jam verò historiam affectionis melancholico-maniacae sic contexere opportunum arbitror. Igitur hanc aegritudinem antecedunt vigiliae insolitae: somni turbati, quos Graeci *ephyaltes*, Latini *incubos* appellant: vertigines: moeror, timor, maestitia praeter morem: ad quoscumque animi affectus vehementiores nimia propensio, sed praesertim ad iram & desperationem: lassitudo membrorum: hominum adversatio quam Graeci *Mysanthropiam* vocant: solitudinis amor: memoriae lapsus: taciturnitas. Haec omnia, aut saltem plurima viam huic affectioni sternunt. Ea jam praesens clanculum ingruit, etenim animum alicui rei nimis intentum reddit usqueadeò, ut ab objecto cui mens inhaeret non facilè distrahi patiatur. Febris nulla ut plurimum adest, sed ingens animi consternatio, modò ad excandescentiam, modò ad voluptatem nunc in lachrymas, nunc in cachinnos properantis, ut facile intelligi possit mentem à sede sua dimoveri. Delirium etsi

(a) *Vide Illustr. nost. ad Hipp. Epid. sect. 2. text. 18. pag. 91.*

(b) *Pathol. Prop. XI.*

(c) *Physiol. Prop. XXI. num. 94.*

etsi non semper vocibus manifestetur, animum in quibusdam tacitè turbat, cum quae timent aut moerent, continuò mente solum recogitent ac revolvant, & mille phantasmata sibi fingant. Sub hoc tempore aegrotantium alii in symptomata melancholica, alii in maniaca potissimum vergunt, alii demùm utrisque alternis vicibus molestantur. Ergo dum in melancholiam magis tendit affectio, aegri tristitia & animi angore perpetuò vexantur. Persaepe humi fixis oculis veluti stupidi consistunt, subitòque falsis imaginibus agitati, celeriter cum tumultu procedunt. Sunt qui sese pecudes, vel testaceos, vel etiam vita defunctos credunt; nec desunt qui se Reges, divites, aut Civitatum dinastas judicent. Sunt etiam qui epulas pertinacissimè recusant, amissam esse vitam credentes, atque non semel fit ut mortem quammaximè pertimescant, eamque sibi ipsi, desponso animo consiscant. Omnibus autem caput, oculi, totaque facies calet. Somnus ut praecipuè necessarius, ita maximè difficilis est, ex eoque tumultuosè excitantur. Nec semper in una tantùm insaniae specie versantur, sed per vanas suspiciones nihil non metuunt, atque hominum consuetudinem, quos magna sibi illaturos damna inaniter credunt, perosi, in solitudinem fugiunt, nec raro ad superstitionem conversi vanis futilibusque terriculamentis agitantur. Interea mutabiles sunt, turpes, de minimis quibusque solliciti, avari: sed non multò post simplices, prodigi, multa largientes, non quidem virtute animi, sed morbi vi ac varietate. Quod si malum nimiùm increscat, praeter jam dicta, sensus ac mens usque eo stupore, fatuitateque capiuntur, ut omnium ignari, suique immemores in morem bestiarum vitam degant, neque animus tantùm, sed & corpus noxam patiatur, etenim ejus habitus in pejus labitur: colore foedo ex atro viridique commixtò tinguuntur, praesertim si bilis atra inferius non descendat atque exeat, sed per corpus cum sanguine diffundatur: cibum etsi satis assumant, extenuati sunt, quia somnus neque potu, neque cibo membra confirmat: alvus arida est nihil dejiciens: nonnumquam verò dejicit sicca, rotunda, atro biliosoque humore circumfusa: urina pauca redditur, acris, biliosa: flatus multi praecordia infestant, pulsus parvi, tardi, inanes, debiles. Sub hoc statu febris adest quandoque continua, lenta, quotidiana: non

rarò intermittens longis intervallis, aut erronea. Raró quispiam dum hoc morbo rapitur, tumorem effugit lienis. Si verò symptomata maniaca superent, cum aegri ex iis multa patiantur, id insuper habent, ut plurimum temporis desipiendo cum furore transeant, atque foeda atrociaque facinora comittendo. Sed ex mania insanientium species infinitae sunt, nam alii rident, ludunt, saltant diu noctuque, milleque gesticulationes, vociferationes, cantus, similiaque absurda perpetrant: alii ira furentes, vestes proscindunt, & quoscumque offenderint laedunt, & dilacerant nisi maturè vinculis coerceantur. Quod si malum multùm increscat, auditu prompti sunt, mente tardissimi: in sumendo cibo voraces atque avidi: vigiliis torquentur longissimis; quod si somnum quandoque capiant, exinde agitati magisque commoti excitantur. Quidam ita desipiunt, ut nequidem in publico ventrem exonerare, atque nudos incedere pudeat. Nec desunt qui immensum spatium decurrunt, & quò perventuri sint nescientes, eodem, unde discesserant, cursu feruntur, aut per longum iter eos quibus fortè occurrerunt, comitantur. Longum esset omnia insanientium inordinata facinora percurrere. Praedicta sufficiant ut velut ex ungue leonem melancholico-maniacos, ex phoenomenis agnoscamus, quidque vis morbi in his per varios augmenti gradus efficiat. Morbus hic longus est, neque ad plures dies & menses, sed & ad annos saepe extenditur ut plurimum sine discrimine: periculosus tamen ex adjunctis non raró conficitur. Si malum eousque intendatur, ut febres continuas lentas, aut erraticas, aurium sonitus, anxietates, ciborum fastidium, corporis ematiationem, aut ejusdem pravum habitum, tremores, aliaque hujusmodi creet symptomata, phrenitidem aut comitialem morbum expectare oportet, quos mors saepe consectatur. Si verò haemorroides adveniant, aut varices: vel pedum intumescentia dolorosa: dysenteria, aut vomitus humoris pituitosi copiosus, saepius alternans cum salivatione viriumque aegri tolerantia, salus subinde expectanda est. Ferè autem sic incidit, ut hoc malum viros potius quàm foeminas adoriatur, sed in his deterius multò est; atque dum recens fuerit, curationem non difficilimam habet, quod inveteravit vix unquam sic tollitur, quin nullo negotio recurrat; idque tenendum, desipientiam

in

in hoc morbo non esse continuam, sed quandoque paucis, non rarò longis intervallis intermittere: sed intermissio minimè sincera est, quando per se delirium desinit, cum non congruenter, aut accommodata medela, aut temporis anni clementia evanescit.

Curatio hujus morbi, natura ipsa duce, his perficitur. Venae sectio sub initiis ex usu est, quoties suppressa sanguinis evacuatio malo fomitem praestiterit, aut plethora quovis modo corpus afficiat. Cavendum tamen, ne plethoram cum obesitate confundamus (a), nam sicut illa sanguinis extractione tollitur, haec eâdem evacuatione corrumpitur. Si symptomata maniaca vigeant audacter, sin melancholica parce sanguis extrahendus, etenim maestum animum modica evacuatio revocat, nimia deprimit. Post haec vomitorium ex granis triginta radicis dysentericae, aut octo granis tartari emetici (loco veratri quod ferè semper cum periculo praescribitur) lege artis datum mirè in hac affectione prodest. Ergo si semel datum vomitorium parùm profecerit, interposito tempore iterum dari debet. Alvus paulò fortioribus medicamentis relaxanda est: atque catharticum foliis sennae, myrobolanis, polipodio, serò lactis ex arte conflatum, & aliquando pro re nata praescriptum, admodum juvat. Haec omnia ita comparata sunt, ut causas occasionales plethoram scilicet & obstructionem tollendo, morbum minuant; sed praeter ea, diathesis omni conatu emendanda. Igitur medicamenta, quae hepatica & splenica dicuntur, ex usu sunt ad atram bilem corrigendam. Decocta, sirupi, infusa, juscula, & id genus alia, composita ex cichorio, intybo, taraxaco, agrimonia, fumaria, nasturtio aquatico, becabunga cum sero lactis, per plures dies, imò & menses assumpta hunc morbum radicitus tollunt. Balnea totius corporis, sed praesertim capitis utilissima sunt: nec vetat aegros robustos in maniam pronos frigidis balneis saepius lavare. Si multa tristitia est, prodest lenis sed multa bis die frictio. Post venam sectam, alvumque satis purgatam utilis pro omni potu est aqua fontis, cui liquor ex nitro & marte immixtus sit (b).

(a) *Physiolog.* 149.

(b) *Vide Pharmacop. Matritens. Edition. secund. pag.* 448.

Diaetam quod attinet, id praecipuè incumbendum, ut aeger cibis quam levissimus utatur: carnes pingues, salitas, fumo induratas omninò fugiat: juscula pro communi usu ex carne vervecina cum pullo gallinaceo additis borragine, bugloso, portulaca, cucurbita, assumat: omnibusque qui hoc morbo molestantur prodest exerceri, multa frictione uti, neque pinguem carnem, neque vinum assumere, numquam esse vel solos, vel inter ignotos, vel inter eos quos aut contemnant, aut negligant, mutare regiones, & si mens redit, annua peregrinatione jactari.

APHORISMI.

I.

Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contra morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici: atque horum utrumlibet magis accidit, prout in hanc vel illam partem infirmitas repit: si enim in corpus epileptici: si verò in animum melancholici redduntur. (a).

"Nimirum (inquit Vallesius) hac ratione periclitantur me-»lancholici brevi mori, si fiant apoplectici, aut convellantur, »humore eo, qui animam perturbat converso ad corpus (b).. ».. ad corpus quidem cum exteriores potius tument partes »(cerebri): ad animam cum interiores sunt malo succo im-»butae."

II.

Si timor atque maestitia multo tempore perseverent, melancholicum id est (c).

"Si quis (inquit Galenus) non ex causa manifesta metuat, »aut maestus sit, melancholici casus manifestè sunt, etiamsi »non diu praecesserint; quod si propter causam manifestam »incipientes, diu postea perseverent, non te lateant melan-»choliam significare (d). Quomodo autem ex materia atrabi-

»lia-

(a) Hippocr. *lib.* 6. *Epidem. sect.* 8. *vers.* 71.

(b) Valles. *Comment. in lib.* 5. *Epidem. Hippocr. text.* 83. *pag.* 269. *& eod. lib. pag.* 252.

(c) Hippocr. *l.* 6. *Aphor. sent.* 23.

(d) Galen. *Comment.* 6. *in Aphor. Hipp. sent.* 23.

„liaria sanguini circulanti tradita (ita loquitur Gorterus) ani-„mae melancholia formetur, non nisi per analogiam probari „potest, cum inveniamus opio animam sopiri in his regio-„nibus, daturam inferre delirium speciale: spirituosa indu-„cere ebrietatem: morsum canis rabidi inferre aquae timorem: „quae omnia sunt mera observata specialis mutationis mentis „ad certam mutationem in humoribus, quamvis nesciamus „qualis sit facta specialis mutatio, quae necessariò inferat „mentis degenerationem, atque sufficit in scientia medica per-„venire ad talem regulam generalem (a)."

III.

Si lingua repente impotens fiat, aut aliqua corporis pars siderata melancholicum hoc ipsum est (b).

Mirabile documentum, maximique momenti in medicina facienda. Galenus, sui systematis tenacissimus, partium stuporem omnem à pituita deducit. Posteriores Graeci, & Arabes Galeni vestigia sequentes nullum non movent lapidem, ut calefaciendo, irritando, & urendo pituitam corrigant; sed his malum exasperari quotidie videmus, quoniam materia melancholica acrior reddita insuperabilis omnino conficitur. Docemur utique hac observatione Hipocratica, praedictos morbos utpote ab atrabile natos, leniter humectantibus medicamentis, atque acrimoniam melancholicam corrigentibus tractare.

IV.

Ad haec in morbis melancholicis periculosi sunt humorum decubitus: aut corporis apoplexiam, aut convulsionem, aut maniam, aut caecitatem significant (c).

Vere & autumno maximè humores, spiritus, totamque naturae humanae constitutionem alterari alias satis ostendimus (d). Si haec agitatio in melancholicis profluvium sanguinis per hemorroides, aut varicum intumescentiam, aut aliam pravi humoris excretionem inducat, res est sub tuto; quod si

(a) Gorter. *Comment. in hunc Hipp. Aphor. pag.* 480.

(b) Hippocr. *l.* 7. *Aphor. sent.* 40.

(c) Hippocr. *l.* 6. *Aphor. sent.* 56.

(d) *Vide Illustr. in Hipp. Epid. sect.* 1. *text.* 1. *pag.* 1. *& seq.*

si secus fiat, decubitus in nervosas partes praedicta mala producentes, spectandi sunt, nisi artis praesidiis adjutus aeger eos vitare possit. Igitur melancholicos oportet sub his temporibus exerceri: transpirationis curam habere maximam: paucis, levibus, & humectantibus cibis uti. Medici officium est ingruente vere (idem faciendum autumno) sanguinem mittere seu venae sectione, seu hirudinum applicatione: ventrem mollire: debitisque remediis bilem atram cicurare: hic enim si quid aliud maximè quadrat Hippocratis sententia: "Quibus »venae sectio aut purgatio conducit, his vere convenit ve»nam secare aut purgationem facere (a)."

V.

Melancholicus uberius deorsum purgabis, eadem ratione contraria adhibens (b).

Non modo ad curationem, sed ad praeservationem pertinet Hippocratis monitum. Confert ergo melancholicis ventrem, seu ut hodierni loquuntur Medici, *primàm regionem* liberam excrementis habere, cum sordes in ea contentae deliria generare soleant (c). Neque catharticis tota res agenda, cum haec irritatione & occulta virulentia saepè noceant; (d) sed diaeta ex oleribus, herbis humectantibus, detergentibus, & fructibus, alvum lubricam reddere convenit. "Novi »quidem (de curatione hujus morbi loquens inquit Vanswie»tenius) à multis Medicis culpari fructus horaeos, ac si plu»rimorum morborum potius causae forent quàm medela; sed »videtur & ratio & experientia contrarium docere... Furen»tissimos ex melancholia maniacos sanatos vidi, dum solis »fructibus horaeis vescebantur, & quidem cerasis, aut fragis »ad viginti & ultra libras quotidie. Incidebant quidem à tam »largo fructuum esu in diarrhoeam, sed per alvum exibat faex »atrabiliaria, & brevi totus ille furor placabatur... Juscula »quibus maturi cucumeres in taleolas dissecti incocti sunt, uti »olera mollia qualia sunt spinachia, endivia, borrago, bu»glos-

(a) Hippocr. *l.* 6. *Aphor. sent* 47.
(b) Hippocr. *l.* 4. *Aphor. sent.* 9.
(c) *Pathol.* 59.
(d) *Physiol.* 89.

„glosa, &c. cibum dant medicatum pulcherrimi in hoc mor-
„bo usus (a)."

VI.

Melancholicis & nephriticis haemorroides supervenientes bonum (b).

Sunt qui *phreniticis* in hac sententia legendum existiment, sed de utroque morbo veram esse experientia compertum est. "Verum debent (inquit Tozzius) haemorroides melancholicis „& nephriticis *supervenire* ut subinde proficiant : nam si for-„sitan illos ab initio comitentur , tantum abest ut conferant, „ut potius noceant , & pessimum signum sit alterius gravio-„ris aegritudinis , quippe indicabunt tantam ac talem pravi-„tatem , tantumque acorem in sanguine exorbitare , ut unâ „simul melancholicum delirium aut renum vitia foveat , & „haemorroidales venas aut arterias proritet ac reserat (c)."

VII.

Insanientibus (maniacis) *si varices , aut haemorroides superveniant , insaniae solutio* (d).

Si venae, quae in ano sunt sanguinem fundant , *haemorroides* , si intumescant *varices* appellari possunt , cum varix ex veterum mente sit extensio & tumefactio venarum in quacumque corporis parte fiat. Ergo seu fluat sanguis per eas venas, seu sine sanguinis effusione eaedem varicum modo intumescant , maniacos magnoperè levant ; neque venae tantum quae in ano sunt id efficiunt , sed & si tumeant quae sunt in cruribus , aliisque locis externis ad maniam solvendam conducunt. Hanc sententiam extendens Celsus ex vero inquit : "At „varix ortus , vel per ora venarum subita profusio sanguinis, „vel tormina , insaniam tollunt (e)." Non raró contingit, ut loco sanguinis per ora venarum podicis exeat humor albescens , glutinosus , acris , in iis praesertim hominibus qui multam generant pituitam facilè in atram bilem migraturam (f).

Haec

(a) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1097. *pag.* 480.

(b) Hippocr. *l.* 6. *Aphor. sent.* 11.

(c) Tozz. *Comment in lib.* 6. *Aphor. Hipp. sent.* 11. *pag.* 133.

(d) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 21.

(e) Cels. *de Medicin. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 69.

(f) *Physiol.* 94.

Haec excretio, quae à quibusdam *haemorroidas albae* vocari solet, melancholicos & maniacos mirè juvat, & si quavis de causa supprimatur, multa & quidem gravissima parit incommoda. Eadem ratione, mensium fluxus in foeminis suppressus melancholiam, & maniam creat. Cum verò mulieres variis modis aflictentur aetate pubescentiae, si sanguinem non fundant per uterum ex instituto naturae, aut in limine senectutis dum ex ejus praescripto purgatio deficit, inde fit ut sub his temporibus sicut & aliis morbis, ita maximè melancholiae & maniae subjaceant, prout eleganter suo more descripsit Hippocrates in libello *de Morbis Virginum*, & libro primo *de Mulierum morbis*.

VIII.

Ex melancholicis quidam intervalla morbi temporibus quibusdam habent, ut etiam consueta administrent: alii in continua sunt dementia.... & tali morbo affecti non melancholia tantùm laborant, sed etiam per circuitus insaniunt; nihil enim aliud est insania (mania) *quam melancholiae ad majorem feritatem intentio* (a).

Duo hic scholarum errores expungendi, scilicet maniam diversum esse morbum à melancholia: & in utraque delirium esse continuum. Idem dicendum de febre, etenim erroneum est melancholicos & maniacos non febricitare, cum saepè febribus lentis, aut erraticis afflictentur. "Ut plurimum autem „hic morbus (inquit Lommius) sine febre est, tametsi ea „quoque interdum accedere, atro humore putrescente, so„let (b)."

IX.

Qui calidioribus antidotis aut purgationibus in melancholia usi sunt, aegros magis furiosos atque maniacos reddiderunt, dum sanguinem ad siccius & acrius converterent (c).

Praejudicata de humore melancholico frigido & sicco opinio à Galeno constituta, & ab Arabibus exculta, mille induxit medicamentorum calidorum formas ad melancholicos sa-

(a) Alexand. Trallian. *lib.* 1. *cap.* 17.

(b) Lomm. *Medicin. observat. lib.* 2. *pag.* 71.

(c) Alexandr. Trallian. *lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 87.

sanandos, quibus onerantur Medicorum libri, cum iis omnibus certissimè in pejus ruant. "Melancholici (inquit Baglivius) cum sero lactis, succis herbarum, & his similibus "temperantibus demulcendi; si contrariae indolis remedia in "melancholicis dederis, aegrum jugulabis (a)."

X.

In melancholia stomacho potissimum succurrendum est, quum & ipse malè habeat, & in ipso bilis atra resideat (b).

A natura ita comparati sumus, ut timor & tristitia vel ab oris ventriculi vitio oriantur, aut ipsum vehementer afficiant. "Saepè observavi (inquit Gorterus) ex oborto timore, vel "tristitia, vel terrore, intestina & ventriculum ita inordinate "moveri ut venter distenderetur flatibus, concitaretur prae"cordiorum anxietas.... ipso momento vigens appetentia con"vertebatur in fastidium &c. (c)" Ergo si symptomata melancholica vigeant, vinum, quod insanientibus omnibus nocet, pro roborando stomacho praescribendum. Rectè hinc ait Celsus: *In hoc insaniae genere solo rectè vinum datur* (d).

XI.

Bona utique est humectatio morbi squallorem tollens, & curationis vexationem mitigans: rarae autem & molles carnes ad aegritudinis remissionem maximè faciunt (e).

Galenus ad rem ita loquitur: "Interim monendi sunt mi"hi amici qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, "victuque humido bonique succi, nullo alio adhibito praesi"dio melancholicum morbum curasse, ubi nondum ob lon"gum temporis tractum nocuus humor multum vacuationi re"sisteret (f). Curandum ergo est ante omnia (ut ait Ballonius) "melancholici victu humectante nutriantur nec prius "meliusculi sunt, quàm cum pinguescunt; nihil itaque tàm "noxium est quàm fames, abstinentia, extenuatio (g)" Dul-

 cium

(a) Bagliv. *de Morbor. & Natur. analog. pag.* 317.

(b) Aret. *de Curat. Morb. diutur. cap.* 5. *pag.* 124.

(c) Gorter. *Medic. Hippocr. lib.* 6. *Aphor.* 23. Vide Bagliv. *lib.* 1. *Prax. Medic. cap.* 14. *n.* 3. *pag* 92.

(d) Cels. *de Medicin. lib.* 3. *c.* 18. *pag.* 155.

(e) Aret. *de Curation. Morbor. diutur. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 126.

(f) Galen. *de Loc. affect. lib.* 3.

(g) Ballon. *Cons. Medicin. lib.* 3. *consil.* 64. *pag.* 326....330.

cium balneorum usus, si quid aliud ipsis opitulatur, neque quidquam vetat maniacos aquae frigidae immergere, quinimò non minus frigida eos, quàm melancholicos calida juvat. Abstinendum tamen à balneis thermalibus calore, & siccitate, melancholico-maniacis summè noxiis. Sunt qui remediis, ut vocant *specificis* hunc morbum curare intendunt, quod praesertim Arabes magno conatu magnisque nugis identidem confecerunt. "Supersticiosi fuere Arabes (inquit Duretus), qui „ad recreationem spirituum animalium inexplicabili facultate „valere putarunt cerebra agnorum, haedorum, & aliorum „animalium, cum omnium cerebrorum carnes sint ingratae „stomacho, & cachochimae .... praescribunt margaritas in „suis electuariis itemque aurum & argentum, quamquam „haec duo nullam habeant vim illustrandi spiritus, sed po- „tius melancholiam augendi, cum omnia metalla natura fri- „gida sint & sicca (a)." Vanswietenius Moschum satis magna dosi praescriptum profecisse memorat (b). Nec desunt qui credant sanguinem asininum linteo exceptum, in aquam deinde infusum, & maniacis propinatum vi specifica eosdem sanare, quinimò inter disputationes pathologicas curis Halleri ordinatas extat methodus hanc medicinam praeparandi, multisque ibi encomiis extollitur (c). Sed ulterioribus observationibus id adhuc indigere nulli dubitamus. Atque placet Halleri judicium monentis quod "uti non decet praecipitem fidem ejus- „modi remediis tribuere, ita etiam minus convenit rejicere „quae publicè utilissima futura praevidemus, si repetitis ex- „perimentis confirmata fuerint. Interea certissimum est quod „Areteus his verbis exprimit: "Quibusdan quandiu medica- „tio adhibetur, tamdiu morbus permanet, quamvis labefac- „tatus ac debilis, at si homo carnes resarciat ac vires instau- „ret, simul omnia morbi vestigia obliterantur, nam potentia „naturae sanitatem, imbecillitas morbum parit. (d)."

(a) Duret. *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 17. *Pag.* 120.

(b) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1123. *pag.* 524.

(c) *Disput. Pathol. X. tom.* 1. *pag.* 168.

(d) Aret. *de Curat. morbor. diuturn. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 126.

CAPUT III.

DE LETHARGO.

LEthargus ex vi vocis est celeris oblivio, qui enim hoc morbo capiuntur, citissimè omnium rerum, tùm quae sensibus percipiuntur, tùm quae antea in imaginatione comprehendebantur, necessariò obliviscuntur. Accedit inevitabilis in somnum propensio: cumque ita comparati simus, ut deficientibus ex sensu communi & imaginatione notionibus, ut in Logica monstravimus, deficiat etiam mens, inde fit ut in lethargo aliquid delirii perpetuò adsit. Verè dici potest lethargus: *Celeris omnium notionum tum rerum præsentium, tum praeteritarum oblivio, cum febre ad tactum levi, re ipsa vehementi & acuta, itidemque sopore, mentisque laesione conjuncta.* Haec definitio praecipua lethargi phoenomena comprehendit: etenim si aegrum hoc morbo correptum pungas, aut quovis modo excites, difficillimè quidem objecta percipit, cessanteque vellicatione citissimè eorum obliviscitur. At praeteritarum rerum oblivio ita tenax est, ut non rarò lethargicos superstites videas, quibus omnia ferè quae didicerant, animo exciderint. In lethargicis non est verus somnus, sed potius sensuum torpor, sensorii communis & imaginationis marcor, atque mentis vacillatio, ita tamen ut etsi vigilare minimè possint, neque dormire verè valeant. Communis tamen apud Medicos invaluit usus tales aegros *soporatos*, eumque stupefactionis statum *soporem* appellandi, ob similitudinem quam cum dormientibus habent (a). Lethargus symptoma est actionis diminutae facultatis animalis principis, nempe sensus communis, imaginationis, & memoriae, eamque comitatur actio mentis depravata. Morbus hujus symptomatis generator est inflammatio specialis, non quidem sicca ut in phrenitide, sed humida. Sunt qui tumorem aedematosum in cerebro pro morbo lethargi generatore adducant; sed id quamquam aliquando fieri posse non inficiemur, generaliter

(a) *Pathol.* 60.

necessarium non esse censemus, cum practicis observationibus consonum sit, humoris pituitosi, aut serosi celidi cerebrum replentis copiam hunc morbum generare. Imò & ipsum nativum cerebri humorem, in nimiam molem cum putredine & calore auctum, lethargicas inducere affectiones pro certo habemus. Pars in hoc morbo praecipuè affecta est ea cerebri portio, qua sensus communis, imaginationis, & memoriae munera celebrantur (a): operam tamen praestant pulmones, cor, caeteraeque particulae ad praedictas functiones exercendas necessariae.

Causa occasionalis lethargi est aliquando plethora: saepè obstuctio nedum cerebri, sed & partium inferiorum, imò & habitus corporis (b): saepissimè diathesis; etenim obstruentes humores nativam partium constitutionem opprimentes, certam & determinatam adquirunt corruptionis formam, qua ad hunc morbum recipiendum disponuntur. Causae efficientes sunt aër tum frigidis humidisque viribus corpus alterans, cum maximé oculta & divina vi facultatem animalem stupefaciens. Hippocrates certa annorum constitutione adnotavit, phreniticos non vehementer delirasse, quin potius lenta quadam in somnum propensione soporatos periise (c). Diaeta frigidis humidisque cibis corpus replens, aut iis constituta alimentis, quae improvidè suscepta languorem in animalibus facultatibus inducunt, lethargi causa esse consuevit, ut nimius refrigerantium, balneorum, lactis, aliarumque hujusmodi rerum usus. Hùc pertinent venena omnia speciali & incognita vi stupiditatem inferentia. Ex Willisio didici, aquas minerales largiori copia assumptas nec per urinas satis ejectas lethargum inducere (d), quod ego propria experientia confirmavi. Animi pathemata, ea praesertim quae languorem, debilitatem, & inertiam cerebro, cordi, & spiritibus inferunt, qualia sunt maeror, timor, desperatio, &c. lethargicas affectiones generare satis notum est.

Lethargi suopte ingenio incipientis historiam ita instituimus.

(a) *Physiol.* 187.

(b) *Pathol.* 60.

(c) Hippocart. *lib.* 3. *Epidem. sect.* 2. *vers.* 61.

(d) Will. *de Anim. brutor. part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 162.

mus. Nulli hominum aetati parcit hic morbus. Etsi senes primario & ex se incipiens vexare soleat, caeteras tamen aetates adoritur, aliis morbis ut plurimum succedens: crebroque sic incidit, ut refrigerati à febre ardente, phrenitide, peripneumonia, aliisque morbis calidis, tum demum lethargo pereant. Obesi, parum exercitati, otio, vinoque dediti omnium maximè sunt dispositi ad hunc morbum suscipiendum: ac licet quandoque repentè ingruat, saepè antecedunt lassitudines, somnolentia, vertigines, ciborum fastidium, capitis gravitas, nimia pituitae generatio. Lethargus dum incipit, febris aegrum prehendit, quae etsi acuta & vehemens sit, ob exiguam caloris mordacitatem à quibusdam veterum *lenta* appellatur. Comitatur corporis pondus & immobilitas, sensuum torpor, in somnum propensio, ita ut nisi excitati minimè loquantur aegri, aut ea accipiant quae offeruntur, imó vociferationibus compulsi, palpebris aegre diductis, oculos vix aperiunt rursumque protinus coeunt, ac pristino sese sopori dedunt. Adest praeterea omnium rerum oblivio, & fieri saepè solet, ut jusculum assumentes, aut poculum, eorum obliviscantur quae manibus contrectant, atque nisi admoniti clamoribus, aut assistentium hortatu ad se redeant, in eorum quae agunt celerem oblivionem incidunt. Interea mens inconstans vacillat, oscitationes frequentes, pulsus ad speciem magnus, reipsa inflatus & inanis; at rarus & inaequalis. Alvus modò liquida, saepius compressa. Urina à naturali parum distans; quandoque qualis jumentorum turbida mejitur. Crescente morbo praeterquamquod omnia augentur, pulsus intermittentes fiunt & inordinati: febris magnas habet remissiones, horis praesertim matutinis, sed fallaces: interrogati aegri non facilè sed post multas sollicitationes respondent, ut si linguam exerere jubeantur, aut non id faciant, aut tardè admodum fieri consentiant, citòque in somnum inexpugnabilem delabuntur: facies tristis, subinflata, livescens: corpus proprio pondere ad inferiores lecti partes delabitur: lingua arida: respiratio magna & rara. Jam verò lethargo ad statum accedente, quod circa diem septimum contingere solet, si aeger in pejus ruat, praeter haec omnia, supinus cubat, & ab aliis in latus conversus, ultro in dorsum revolvitur: manuum tremor: facies turgida, livida: pulsus humiles: alvus, etsi fluat, intumescit;

cit: urinae & foeces injussae secedunt: respiratio tarda & alta: dentium constrictio, ut disjungi non facilè patiantur: unguium livor: convulsiones: stridor pectoris: sudor frigidus & glutinosus circa caput & frontem: mors. Quod si morbo in statu constituto tumor circa aures superveniat (parotidem vocant): aut tussis cum sputaminibus: aut phrenitis: tunc morbus diutius trahit sub ancipiti exitu; ex his enim alii post longos labores sanantur, alii viribus labefactatis pereunt. Lethargus est morbus brevis, septem enim diebus, aut novem cursus ejus absolvitur. Pauci ex eo evadunt, & nisi celeriter suppetiae ferantur, citò enecat.

In curando lethargo celeriter sanguis mittendus ex utroque brachio si plethora adsit, parum tamen sanguinis extrahendum cum morbus hic non multam toleret hujus humoris evacuationem. Quod si facies tumida, venarum colli inflatio, capitis gravitas, multam cerebri repletionem indicent, hirudines juxta aures applicare magno aegris usui est. Interea venter clysteribus & lotionibus est molliendus, atque vesicantia cruribus, & occipitio admovenda. Jam vero si venter sordibus repletus, aut totum corpus nimia pituita obrutum fomitem morbo praestiterint, post sanguinis extractiones, nulla interjecta mora, purgatio instituenda, quae non modo sordes abluit, sed & à capite revellit. Igitur potio ex rhabarbaro, sena, agarico, syrupo carthami, aut de spina cervina, lege artis conflata ex usu esse potest. Saepè hiera Galeni decocto betonicae infriata mirè profuit. Curandum ergo quammaximè, ut haec omnia ante diem quartum fiant, eo enim transacto quiescendum, nec quicquam aliud agere oportet, quam alvum lubricam servare: caput ex castoreo firmare: vires infirmas roborare: aegrumque à somno blandè per intervalla excitare: quae omnia non multitudine remediorum validè agitantium, quin potius suavi blandaque methodo utiliter peraguntur.

APHO-

APHORISMI.

I.

Hyeme lethargi fiunt, &c. (a).

"Saepius observavi (inquit Willisius, qui de lethargo longè „tractavit) febres soporosas & velut narcosi quadam insig-„nitas, quibusdam temporibus, ob malam anni constitutionem „coortas, & epidemicè grassatas fuisse (b)."

II.

Lethargicis, si multum atque id liquidum infra egerant, valdè exigua vitae spes est (c).

"Insanabilis est lethargus (ait Duretus) qui phrenitidem „excipit: & in quo dejectiones crudae, & urinae pravae si-„ne sensu & sine voluntate feruntur (d)."

III.

Ex lethargicis quicumque servantur, ferè purulenti reddun-tur (e).

"In descriptione (ait Willissius) febris epidemicae soporo-„sae quae regnavit anno 1661, plurimis accidisse (ex lethar-„go empiema) notavi (f)." Discimus hinc, pectoris partes sicut ad somnum naturalem conferunt, ita in soporosis affectionibus saepè pati (g): neque de nihilo esse, quod Hippocratis primum, deinde Baglivii observatione novimus, scilicet ex affectis pulmonibus lethargum aliasque affectiones soporiferas, & ex soporosis affectionibus morbos pulmonum nascit (h).

IV.

(a) Hippocr. *l.* 3. *Aphor. sent.* 23.

(b) Will. *de Anim. brutor. part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 165. *& de Morb. convulsiv. cap.* 8. *pag.* 95.

(c) Hippocrat. *lib.* 3. *de Morb. vers.* 54.

(d) Duret. *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 59.

(e) Hippocr. *Coac.* *Duret. lib.* 1. *sent.* 145.

(f) Will. *de Anim. brutor. part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 166.

(g) *Pathol.* 60.

(h) Hipp. *l.* 3. *de Morb. vers.* 50. Bagliv. *Prax. Medic. lib.* 1. *cap.* 9. *de Rar. pulmon. affect. pag.* 57. *Vide Physiol. nostr. tract.* 6. *prop.* 49. *n.* 189.

IV.

Lethargicum oportet in accessione per intervalla leviter excitari suo nomine exclamatum, etenim jugiter titillatu vel impressione ac punctionibus hoc facere nihil aliud quam stricturam erit asperare ob inquietudinem quassationis (a).

Sunt qui lethargicos perpetuis vellicationibus erigere studeant: sunt alii qui numquam excitandos censeant ut Tharrias apud Celsum (b). Sed modum in iis tenendum experientia suadet, etenim natura valida, sed iners, excitata miros neque sperandos producit effectus: eadem languida & debilis vehementer & continò agitata succumbit. Ergo Celsi monitum hic, si quid aliud, ad rem facere videtur. "Interest autem „(inquit) in decessione expergiscatur aeger, an, cum fe„bris levatur, aut levata quoque ea somnus urgeat. Nam si „expergiscitur adhibere ei ut sopito supervacuum est, neque „enim vigilando melior fit, sed per se si melior est vigilat. Si „verò continens ei somnus est, utique excitandus est, sed his „temporibus quibus febris levissima est, ut excernat aliquid, „& sumat (c).

V.

Sed ex his omnibus (medicinis roborantibus) *nihil sperandum est utile, sed magis incendia viscerum altiorum, & veluti putredines tumentium membranarum ob nimietatem fervoris* (d).

Obruimur ferè medicametorum cephalicorum copia, nam praeter simplicia ex cranio humano, ungula alcis, stercore pavonis, cinabrio & id genus aliis nedum Medicis sed barbitonsoribus notissimis, prostant in Pharmacopoeis composita ex Chimia deprompta speciosis adeò titulis incrustata, ut incautos facilè alliciant. Verùm quis speret lethargum iis naeniis, aut pulvere marchionis, de guttera, aliisque similibus posse fugari? Nemo certè, nisi nimiùm credulus, aut in arte parum, aut nihil fuerit exercitatus (e). "Debilibus, languen-

„ti-

(a) Cael. Aurelian. *de Morb. acut. lib. 2. cap. 6. pag.* 82.

(b) Cels. *de Medic. lib. 3. cap. 20. pag.* 159.

(c) Cels. *de Medic. lib. 3. cap. 20. pag.* 159.

(d) Cael. Aurelian. *de Morb. acut. lib. 2. cap. 8. pag.* 86.

(e) *Pathol.* 30.

„tibus (inquit Boerhaavius) lethargicis, soporosis, syncop-„ticis, vomiturientibus incassum saepè sucurrere conatus per „artificiosissima Chaemiae producta, summum tandem ab ace-„to, naribus, orique adhibito, vel in ventriculum ingesto auxilium impetravi (a).

VI.

Excitat autem validissimè repente aqua frigida superinfussa (b).

In actis Academiae Parisiensis legimus hominem longissimo sopore detentum, repentè in frigidam aquam immersum esse restitutum (c). Hinc arrepta occasione Vanswietenius inquit: "Ex his observationibus patuit, quod in tali somno „qui naturali simillimus, caeteroquin sola diuturnitate morbo-„sus dici poterat, remedia etiam validissima parum vel ni-„hil profuerint, si immersio subita in aquam frigidam ex-„cipiatur (d)"

CAPUT IV.

DE APOPLEXIA.

APoplexia vi vocis est percussio, etenim qui ea corripiuntur, quasi repentè percussi sine sensu & motu attoniti jacent. Ex communi Medicinae Principum sensu apoplexia est: *Subita functionum omnium animalis facultatis defectio cum laesione respirationis conjuncta.* Non modo sensus & motus in toto corpore, sed & sensus communis, imaginationis, memoriae, uno verbo, mentis omnes operationes in appòplexia deficiunt. Nec tantum id contingit, cum etiam subito affectio haec hominem invadat; nam etsi caro, comate, lethargo, epilepsia prehensi, si malum in exitium vergat, modo apoplecticis simili moriantur, tamen is aegrorum hujusmodi status quasi consectarium est morbi prioris, nec aegritudinem

(a) Boerhaav. *Chem. process.* 50. *tom.* 2. *pag.* 185.

(b) Cels. *de Medic. lib.* 3. *cap.* 20. *pag.* 159.

(c) *Memoir. de l'Academ. Royal des Scienc. an* 1713. *pag.* 315.

(d) Vanswieten. *Comment. in Aphorism. Boerhaav.* §. 1049. *t.* 3. *pag.* 328.

nem diversam, sed diversum ejusdem vehementioremque gradum monstrat. At apoplexia morbus est ex se incipiens, & repentè hominem veluti percussum, sensu & motu privatum prosternit. Respiratio in hoc morbo necessariò laeditur, ut ex sola hac actione vitali praeternaturaliter affecta, apoplexiam à caeteris affectibus soporosis distinguamus. Inde fit, ut ea apoplexia fortis dicatur, quae magnam, levis verò quae levem in respiratione noxam infert. Pars praecipuè affecta est cerebrum, sed cor in hoc morbo semper afficitur, cum necessario mutuam operam conferre debeat cum cerebro ad actus animalis facultatis eliciendos (a). Apoplexia refertur ad symptomata actionis abolitae animalis facultatis tàm principis, quàm non principis. Morbus hoc symptoma producens est intemperies tum quantitatis, plethorae scilicet & obstructionis, tum qualitatis, videlict caloris, extinctionis seu inanitionis, frigoris, humiditatis, &c. (b). Sed notandum, praeter haec omnia, saepè ad apoplexiam inducendam, intemperiem in ipsa substantia partium vitiata consistentem concurrere, atqueadeò quidquam superioris ordinis adesse, neque ullis qualitatibus, nec ullo mechanismo comprehensibile (c).

Causae occasionales scilicet plethora, obstructio, & diathesis, quae omnibus morbis ansam praebent, potissimum locum in apoplexia obtinent. Causae efficientes nempe aër, diaeta, & animi pathemata (d), modò simul, modò seorsim, hunc morbum producunt. Modus autem, quo apoplexia à praedictis causis efficitur, ad tria capita reduci potest. Primo: dum copia sanguinis intercipit communicationem inter cor & cerebrum, apoplexiam producit, quod hominibus sanis potissimum contingere notat Hippocrates (e). Jam verò cor ejus influxu mentis operationes juvare, sanguinem spiritusque vitales mittendo, in Physiologia vidimus (f): quacumque ergo causa mutuus harum partium consensus intercipiatur, damnum sequi debere necessarium est, indeque fit ut intercepto sangui-

(a) *Physiol.* 174.
(b) *Pathol.* 9.
(c) *Pathol.* 10. & 16.
(d) *Pathol. Prop. IX.*
(e) Hipp. *de Vict. ration. in acut. sect.* 4. *vers.* 40. *Vide Physiol. nostram, Prop. XXVI. num.* 121.
(f) *Physiol.* 66. 174. & 189.

guine in vasis ad cerebrum ex corde properantibus, ob nimiam plethoram citò apoplexia sequatur. Obstructio occludens meatus partium, eundem effectum praestat intercipiendo liberum spirituum motum, quo fit ut mutuus etiam deficiat partium consensus, atque satis monstravimus sensuum, motus, & mentis operationes nedum cerebri, sed eam partium inferiorum dispositionem requirere (a), quae facile cum cerebro commercium habeant. Hoc modo nimia arteriarum carotidum, venarumque jugularium repletio: capitis ictus, contusio, vulnera, inflammatio: immodicus alimentorum & potuum usus: vita sedentaria & otiosa: frigus, humiditas, pororum constrictio, cerebri hydrops, aliaque id genus apoplexiam inducunt. Secundo: fit apoplexia per eam diathesim spiritum, qua in narcosim inclinant. Sic opium: venena somnifera hiosciamus; solanum, mandragora: vinum potusque spirituosi: aër speciali temporum constitutione vitiatus: vapores ex utero, stomacho, aliisque visceribus caput petentes: atrabilis: fumus carbonum, & similia apoplexiam saepe gignere experientia novimus. Tertio: inanitio seu extinctio spirituum, ipsiusque cerebri, cordis, & nervorum substantiae eorum calidum innatum constituentis apoplexiam generat. Senes: nimium ex morbo debilitati: longa cachexia corrupti: articulorum morbis diutius afflicti, hac apoplexiae specie non rarò interficiuntur.

Apoplexiam à quadragesimo ad sexagesimum annum, atque in senibus maxime fieri Hippocratis observatione novimus (b), eamque ferè praeveniunt capitis gravitas cum dolore: tempus hyemale pluviosum: vertigo: splendores ignei ante oculos: impotentia ad motum: propensio ad somnum: salivatio insueta: extremarum partium sine ratione perfrigerationes: diaeta lautior: incubus: solitae per nares, aures, haemorroides, uterum, evacuationes suppressae: quarundam partium stupores. Fatendum tamen haec omnia non modò apoplexiam, sed epilepsiam, & morbos uteri, atque hypocondriorum saepe antecedere & comitari: neque perpetuò

 apo-

(a) *Pathol.* 60.
(b) Hippocr. *lib. 6. Aphor. sent.* 57. *& lib. sent.* 31.

apoplexiam praecurrere, cum morbus hic nullis antecedentibus signis quandoque invadat. Sed si his accedat diathesis ex principiis generationis, aut cum angusta cervice caput rotundum, aliaque hujusmodi huic morbo opportuna, ferè certo venturam apoplexiam monstrant. Invadit subitò hic morbus, atque hominem veluti attonitum corruere facit sensu omni, motu, voce, & mente privatum. Respiratio est difficilis: pulsus densus & digitis prementibus fugax: color ex rubro livescens, decubitus supinus: os distortum & hians. Crescente apoplexia, quod ad tertium circiter diem fit, eadem permanent, sed ulterius praecordia intumescunt: sudor glutinosus nunc caput & cervicem, nunc totum corpus occupat: inter respirandum stridor: oculi tristes, aperti: palpebrarum & superciliorum immobilitas: sopor profundissimus cum stertore: pulsus humiles, intermittentes, languidi. Quod si haec omnia augeantur, deglutio omninò impedita, sudores frigidi, pulsus exiles, respiratio cum stertore maximo inevitabilem mortem prae foribus esse demonstrant. Uno die interdum morbus hic interficit: raro quartum excedit. Integra valetudinis restitutio numquam ex hoc morbo expectanda: si verò quisquam superstes futurus, paralisi tentatur, ut non alio ferè modo natura, quavis arte adjuta, apoplexiam superet, nisi per supervenientem nervorum resolutionem, malo ex intimis ad exteriora converso. Adeò verum est quod dixit Hippocrates: *Apoplexiam fortem nullo prorsus modo solvi posse, debilem verò non facile* (a).

Curatio apoplexiae sic instituenda, ut occasionalium causarum, viriumque aegri maxima cura habeatur. Igitur si plethora ex suis signis agnoscenda fomitem huic morbo dederit, cito vena ex brachio secanda, neque multo post jugulares venae aperiendae, nisi enim prompta sint in hoc morbo auxilia, celerrimè necat. Si obstructio causa sit apoplexiae, eaque in prima regione hospitetur, nulla interposita mora vomitorium ex unciis duabus vini emitici est praescribendum, alvusque nisi respondeat, clysteribus acribus ex rutae, adsin-

(a) Hippocrat. *lib.* 2. *Aphor sent. sent.* 42.

sinthii, chamaemeli decocto, addito vino emetico turbido, est sollicitanda. Vesicantia hic ex usu esse tum cruribus, tum occiputio applicata, omnibus practicis in confesso est; imò & cucurbitulas ipsi capiti raso appositas saepè profuisse non ignobiles Auctores testantur. Medicamenta, quae vi specifica huic debellando morbo proponuntur, qualia sunt tinctura ex anacardiis, spiritus cornu cervi succinatus, fuliginis, sanguinis humani, aliaque id genus in libris Medicorum & Pharmacopoeis prostantia ex vulgi opinione congruere censentur, cum fidis observationibus non adhuc decantata eorum specialis virtus in capite roborando, fugandisque nervorum morbis satis innotuerit. Jam vero cum in apoplexia languentem excitare naturam, atque spiritus reficere necesse sit, ea interius conferunt medicamina, quae viribus roborandis, nervisque movendis conducunt. Hinc bezoardicum animale ex viperis conflarum, elixir proprietatis, aqua theriacalis Crolli, melisae spirituosa, aliaque hujusmodi in nostra materia modica pro usu Tironum adducta, & moderatè praescripta, ex usu esse possunt.

APHORISMI. I.

II.

Quicumque sani dolore capitis repentè capiuntur, statim muti fiunt ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit (a).

Hanc sententiam elegantissimè illustravit Celsus his verbis: "Cui verò sano subitus dolor capitis ortus est, dein »somnus oppressit, sic ut stertat neque expergiscatur, intra »septimum diem pereundum est: magis si, cum alvus cita »non antecesserit, palpebrae dormientis non coeunt sed album »oculorum apparet, quos tamen ita mors sequitur, si id ma»lum non est febre discussum (b)."

II.

Si quis ebrius repentè obmutuerit convulsus moritur nisi fe-

(a) Hippoc. *l.* 6. *Aphor. sent.* 51. | (b) Cels. *de Med. l.* 2. *c.* 8. *p.* 72.

febris corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapulae solvuntur, pervenit, loquutus fuerit (a).

Aliud est loquelae, aliud vocis amissio. Ad vocem sufficit sonus vi asperae arteriae & oris emissus, ut in luctu, sibilo, vociferatione; ad loquelam praeter sonum necessaria est articulatio, quae linguae & labiorum opem postulat. Graeci *anaudos* vocabant quos Latini *mutos*, hoc est, loquela privatos: *aphonos* qui sono omnino carebant, atque Hippocrati in more fuit, apoplecticos aphonos nominare, ut ex iis sententiis, aliisque pluribus locis constat. Igitur hominem loqutione, voce scilicet articulata, privari, quin sensu omni motuque privetur, quandoque fieri observamus; attamen aphonum reddi, hoc est, sono omninò privari ut neque luctum, nec sibilum, nec vocem ullam emittere possit, rarò sine sensuum motusque defectu fieri videmus. Haec nitide explicans ex Hippocratis, & Galeni mente Foesius inquit: "*Aphonum* „esse hominem deterius esse manifestum est, quam *anaudon*. „Quibus igitur lingua sola resoluta est, maximam interdum „vocem edere possunt, at loqui tamen nequeunt. Quod si ne „vocem quidem emittere queant, his extremae extinctionis „facultatis est indicium (b)."

III.

Apoplexia quae repente contingit, si febris mediocris insuper accedat, quae diu trahat, mortifera (c).

Cum Hippocrates saepè monuerit febrem in apoplexia salutarem esse, atque in praxi videamus eam interdum, imò & frequenter esse perniciosam ut in praesenti aphorismo dicitur, orta hinc magna controversia inter practicos de febre apoplecticorum, affirmantibus aliis eius utilitatem, aliis negantibus. Sed Martianus fidelissimus dogmatum Hippocratis perscrutator litem ex vero diremit his verbis: "Distinguun„tur ulterius hae febres, quia quae salubriter accedit, à „principio morbi, dum naturam adhuc in suo robore existens „ex-

(a) Hippoc. *lib.* 5. *Aphorism. sentent.* 5.

(b) Foes. *Oecon. verb.* Αφονος *pagin.* 55.

(c) Hippocrat. *Praedict. l.* 1. *sentent.* 82.

„extremos conatus efficere potest, supervenit; quae vero in „aegri perniciem invadit, non à principio, sed ulterius pro„gresso morbo apparet..... Quotiescumque igitur apople„xiae statim febris supervenit, solvitur; nequaquam verò „ubi posterius & jam confirmato morbo (a)."

IV.

Si aeger apoplexia correptus superior evaserit ita ut sanguis calescat sive ab his quae exhibentur, sive à se ipso, attollitur, & diffunditur, ac movetur, & spirationem inducit, & spumescit, & à bile separatur, & sanus evadit (b).

Loquitur Hippocrates de bile atra apoplexiam efficiente. Igitur in cerebro quandoque adesse dispositionem inflammationi similem, indeque apoplexiam nasci, monuit Galenus (c). Ex bile usta & crassa obstructionem in cerebro & nervis inducente hunc morbum interdum oriri monstravit Petrus Michael de Heredia (d). Homines facie colorata, pustulisque biliosis repleta ob cerebrum male affectum in apoplexiam saepè incidere observatione didicimus (e). Hinc monemur, nimium calidis medicamentis apoplecticos non esse tractandos, his enim, ut Martianus rectè consuluit, exasperatur potius morbus quàm minuitur (f). Forte mixtura simplex ex aqua theriacali, spiritu tartari, & elixire policresto conflata omnem hic paginam adimplet (g).

V.

Ubi (apoplecticus) *penitus perfrigeratus fuerit, & calor ex ip-*

(a) Martian. *Comment. in lib.* 2. *de Morb. sect.* 1. *vers.* 67. *pag.* 170. & *Comment. in Aphor. sect.* 5. *sent.* 5. *pag.* 456.

(b) Hippocr. *lib.* 2. *de Morb. sect.* 1. *vers.* 71. & *seq.*

(c) Galen. *Comm. in lib.* 2. *Aphor. Hipp. sent.* 42.

(d) Hered. *de Morb. acut. sect.* 1. *disp.* 8. *cap.* 2. *pag.* 57.

(e) *Vid. Hist. morb. Uratislav. ann.* 1702. *pag.* 286. & *Pathol. nostr. numer.* 53.

(f) Martian. *Comm. in lib.* 2. *Hipp. de Morb. vers.* 64. *pag.* 169.

(g) Vide Lanciss. *de hac re optimè disserentem, de Mortib. subit. lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 104.

ipso defecerit congelatur, & moveri non potest, sed moritur (a).

Veris ima sententia intelligenda de extinctione caloris nativi, quae non tàm privatione, quàm impotentia agendi defectum sensus motusque producit. Senes, delicati, ataxia spirituum praediti, longisque morbis consumpti hac apoplexiae specie quandoque vitae curriculum finiunt. Ferèque sic incidit, ut apoplexia hujus generis cum syncope copuletur, qua nedum celerrimè sub aequinoctiis & solstitiis plures intereunt, sed & sanissimi homines venereis amplexibus improvidè dediti in ipso certamine succumbunt, ac thalamum repentè in tumulum convertunt, quod me bis vidisse memini (b).

VI.

Quibus Cephalalgiae & echus varietas sine febre, unaque vertigo tenebricosa incidit, & tarditas vocis & manuum stupor hos vel apoplecticos, vel epilepticos, vel etiam lethargicos fore expecta (c):

Si haec omnia simul adsint, raró quis morbos citatos effugere poterit. At seorsim quaedam ex his malis sine superveniente apoplexia fiunt. Rectè Medici Uratislavienses monent, aurium tinnitum (ab Hippocrate *echus* dicitur) citra sinistrum omnem pluribus esse familiarem (d). Manuum, aliarumque partium stupor est hebes & obscura rei molestae sensio. Si fiat ab spirituum interceptione, aut narcosi, apoplexiam minatur, epilepsiam, aut lethargum. Si ob ataxiam spirituum adveniat, non ita pertimescendus. "Notandum est (inquit Vanswietenius) "quibusdam hominibus familiare esse, „ut subinde quaedam corporis partes stupeant absque mag„no malo (e), quod ego in praxi verum interdum animad„verti."

VII.

Saepè accidit apoplexia perniciosa causa alterius nocumenti,

(a) Hippocr. *lib.* 2. *de Morb. sect.* 1. *vers.* 74.

(b) *Vide Histor. Morb. Vratislav. ann.* 1702. *pag.* 295.

(c) Hippocr. *Coac. Praen. Duret. lib.* 2. *cap.* 1. *sent.* 2.

(d) *Histor. Morb. Vratislav. ann.* 1702. *pag.* 289.

(e) Vanswieten. *Comm. in Aphorism. Boerhaav.* §. 1020. *pag.* 292.

ti, seu alterius aegritudinis in membro ei communicante (a).

Apoplexiam fieri per consensum partium cavitatis vitalis, quemadmodum alios soporosos affectus, jam antea vidimus. Sed omnium maximè ventriculus nimium gravatus, aut oppletus liberum spirituum commercium impediens per partes, hunc morbum creare aptus est. Helmontius experimento ductus, de vertigine & apoplexia rectè monet, quod "sedent „proximè intra ipsum vitae nidum, *in Archaeo*, qui nimirum „insitus est ventriculi orificio.... Si autem suboriatur mu„cilago putida ad amarorem prona, vertiginem, & fortius „insurgens apoplexiam suscitat (b)" Medelam hujus morbi aptè insinuat Vanswietenius his verbis: "Patet hinc talem sa„burram primas vias gravantem producere posse apoplexiam, „sed sanabilem facilè, sublata hac causa per vomitum, vel „secessum (c)."

VIII.

Confert his .... cibis modicis uti, levibusque ac mollibus ;.... Utendum & laboribus naturalibus multis..... Qui igitur his utetur vitam sanus deget (d).

Loquitur Hippocrates de his qui insaniae aliisque capitis morbis proclives sunt. Cum Lancissius vitam abstemiam, ac laudabile vitae regimen, pro mortis subitaneae ab apoplexia potissimum inductae praeservatione prae aliis quibuscumque remediis laudaverit, tum demum inquit: "Nec immediata solùm, „sed diu etiam experta in praesens referimus, quibus sanè ob„servationibus ipsius Hippocratis consilium accedit (e)." Aurea sunt, hac de re, Medicorum Uratislaviensium verba: "Ma„jor pars eorum (inquiunt) quos apoplexia apud nos invadit „est temperamenti sanguinei, aut sanguineo cholerici.... Cu„juscumque verò fuerint temperamenti qui vel hoc anno vel „etiam sequutis temporibus apoplexiam incurrerunt, in eo „ferè omnes convenerunt, quod vel in potu, vel in cibo, vel

 „utro-

(a) Avicen. *lib.* 3. *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *pag.* 182.

(e) Helmont. *A sed. anim. ad morb. pag.* 182.

(c) Vanswieten. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 1017. *pag.* 286.

(d) Hippocrat. *de Insomn. numer. ultim.*

(e) Lanciss. *de Mortib. subitan. lib.* 1. *cap.* 23. *pag.* 83.

"utroque excesserint..... Non facile recordor, quemquam "apoplexiam incurrisse, ubi non vel manibus fuerit palpabile, "inter assumpta, & motum corporisque exercitia nullam fuis- "se servatam proportionem, sed illa modum excessisse, haec "verò defecisse (a)."

IX.

Si omnia membra vehementer resoluta sunt sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit; saepe mortem tantum differt; vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit & motus & mens, nihil spei superest: si redit, sanitas quoque prospicitur (b).

Igitur aeger correptus apoplexia, quae non infirmitate sed onere nocet, nullo auxilio melius succurritur quam venae sectione. Si autem virium extinctione hic morbus fiat, sanguinis missio aegrum jugulat. "Nisi enim post venae sec- "tionem, & congrua adhibita auxilia (inquit Hoffmanus) in- "tra viginti quatuor horas sequatur levamen, & symptoma- "ta remittant, spes salutis decollavit (c). Obiter hic notent Tirones, Hoffmanum apoplexiam sanguineam sub nomine *haemorragiae cerebri* explicare, observationibus & ratiociniis anatomicis suffultum; cum enim in dissectis hoc morbo cadaveribus nedum ipse, sed & Wepferus pluresque alii in cerebro sanguinem extra vasa effusum conspexerint, ex ruptione vasorum sanguiferorum apoplexiam obortam rati, ad haemorragiae species hunc morbum reduxere. Sed cum inspectio cadaverum rarò morborum causas, saepè effectus eorum, & mutationes in homine à morte inductas monstrare soleat, ut in generali Pathologia vidimus (d), propterea novitatis amore hunc Auctorem hic, sicuti pluribus aliis locis, à communi & usitato Medicorum sensu recessisse credimus, potissimum cum anatomicae dissectiones nullibi minus veras malorum causas quam in nervorum morbis monstrent, in spirituum vitio, defectuque inexistentes, atque post mortem mini-

(a) *Histor. Morb. Vratislav. ann.* 1702. *pag.* 286. *& seq.*

(b) Cels. *de Medic. lib.* 3. *cap.* 27. *pag.* 178.

(c) Hoffman. *de Haemorrag. cerebr. cap.* 7. §. 18. *tom.* 2. *pag.* 242.

(d) *Pathol.* 60.

nimè aspectabiles. Cumque in dissectis ex morbis aliorum viscerum cadaveribus, sanguinem in cerebro extra venas effusum conspexerimus, potius quam Hoffmani, placet Ballonii expertissimi Medici judicium hac de re ita loquentis: "Cum »morbi cerebri sint curatu difficiles, cognitu sunt difficillimi: »parvae ejus causae gravia in capite edunt symptomata, imó »solus vapor teter furtim surrepens convulsiones terrificas in»vehit, & magno Medicorum dedecore. Saepè capita homi»num morbo capitis consumptorum aperta sunt, in quibus »nihil commemorabile repertum est quod mortem intentasset, »cum alioquin Medicus aut abscessum aut simile quid reper»tum iri pronuntiasset. Spes augurantium ipsa inspectio fefel»lit, & eorum fiducia & inspectio in stuporem vertit, ac »si cum ipsa anima mortis occasio evolasset (a).

CAPUT V.

DE RELIQUIS AFECTIONIBUS SOPOROSIS.

SOporosos novo vocabulo vocant Scholae eos omnes morbos, quos latini *soporos*, *soporiferos* apellant. Sed nos eo nomine utemur ut tantùm intelligamur, siquidem ita fert docentium usus. Igitur praeter lethargum, & apoplexiam, inter soporosos affectus numerantur *Cataphora*, *Carus*, *Coma*, *Typhomania*, *&* *Catalepsis*. Sunt quidem hi omnes aliorum morborum symptomata, non morbi primarii quemadmodum lethargus & apoplexia, proinde non eorum historias, sed signa tantum characteristica proponemus hoc fine, ut Tirones singulorum naturam agnoscant, ne in curationibus unum pro alio assumentes eos mutuò confundant, quod à pluribus Auctoribus alioquin insignibus factum videmus. Riverius jejunè de his tractans omnes ferè confundit. Hoffmanus cum doctrinarum fontes non consuluerit, diminutus est, & parum acuratus. Boerhaavius lethargum & carum cum apoplexia confundit, atqueadeò de lethargo paucissima ver-

F 2 ba

(a) Ballon. *Consil. Medicin. lib.* 3. *consil.* 71. *tom.* 3. *pag.* 339.

ba facit. De caetero carum & apoplexiam aliosque soporosos affectus neque accuratè neque sincerè satis distinguit, quod ideó monemus, ut Tirones intelligant, Auctorem hunc, alioquin laudandum, in chimicis, & physicis observationibus intento magis animo majorique cum fructu, quàm practicis excolendis adlaborasse. *Cataphora* vi vocis est vehemens in somnum propensio. Affectio est praeternaturam omnibus morbis soporosis communis, cum aegri quovis modo excitati, inevitabili necessitate in somnum iterum delabantur. Sunt homines sani & valentes, qui ob speciale temperamentum, quod *idiosincrasiam* vocant, in somnum nullo negotio feruntur. Fiunt etiam crises salutares per somnum longum, praesertim in pueris, quibus solemne est vitam dormiendo transigere. Distingui facile potest is somnus à cataphora, tum schemate jacendi, tum facilitate excitandi aegrum, tum ex sanitate vel morbo praegressis: si etenim haec omnia acuratè considerentur, nemo est qui somnum salutarem à morboso non distinguat, "Distinguntur dormientes (inquit Aurelianus) ab op-»pressis, calore, charactere, respiratione, pulsu, tactu, sche-»mate jacendi, febrium magnitudine (a)"

Carus est capitis gravitas cum sopore. In vulneratis capite: in casu ab alto: in affectibus histericis & hypocondriacis nimia repletione aut inanitione conjunctis: in affectionibus epilepticis: in ebriis: in foeminis circa menstruorum tempora: in gravidis appropinquante partu: in accessionibus quarumdam febrium intermittentium frequenter carus conspici solet. Atque haec aeger patitur: capitis gravitas adest: altusque sopor cum sensus & motus amissione, ita tamen ut neque motus omnis, neque sensus integrè deficiant, nec respiratio laesa sit, etenim si pungatur aut validè vellicetur aeger aliquem motum sensumque habere intelligimus. Quod si caro diu perseverante sensus motusque omnino desint, metus est, ne inde lethalis apoplexia exoriatur, cum facilè huic ille viam sternat. Apoplexia histericis superveniens, quae à Sennerto sub *Aphoniae* nomine describitur tamquam affectus in-

(a) Cael. Aurel. *Acut. morb. lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 20.

inter apoplexiam & epilepsiam medius, utpote aegri cadunt sopore correpti sine sensu non tamen motu omnino privati, neque convulsionibus agitati: quam sub specie levioris apoplexiae describit Hoffmanus, reipsa carus non apoplexia sunt, in his enim nec sensus motusque omninò deficiunt, nec respiratio offenditur, &, quod caput est, solvuntur sine paralysi, aut insigni aliqua nervorum laesione (a). Optimè Vanswietenius moderatissimus Scriptor Praeceptoris errorem corrigens, inquit: "Apoplexiae *similis* morbus (carus) & „*quasi* levior species; à qua tamen distingui debet, quia fa„cilius sanatur & integrè quidem; quod in apoplexia exqui„sita raròfit; si enim evaserit aeger, semper ferè aliquam „laesionem functionum animalium relinquit.... Heers homi„nem ab ebrietate jam in quartum diem dormientem liberavit à „perforatione calvariae, quam jam moliebantur bini chirurgi „raso capite, quia credebant apoplecticum esse, cum supinus „cecidisset ebrietatis primo tempore: examinans autem aegri „caput, cum nullum vestigium laesionis perciperet, pulsus „optimus esset, respiratio liberrima absque nullo stertore fo„ret, audacter negavit apoplecticum esse.... Vidique ali„quoties, quod jactatores satis imperiti gloriam tulerint sana„tae apoplexiae, dum profundus talis somnus largam ciborum „& potus imprimis ingurgitationem sequebatur (b)." Neque semper & perpetuò febris carum comittatur, ut Boerhaavius tradit, quin potius in foeminis, ebriis, epilepticis, aliisque bene multis carus saepè sine febre conspicitur, neque optimi naturae observatores carum necessariò cum febre conjunxere (c),

Coma est: somnolentia praeternaturam morbis malignis ut plurimum superveniens, qua aegri sine sensus & motus amissione, modo sopore tantum, interdum sopore vigiles jacent. Ex

(a) Sennert. *Med. Pract. l.* 1. *p.* 2. *ca.* 33. *p.* 171. Hoffm. *Special. Pathol. p* 4. *ca.* 1. §. 7. *pag* 195.

(b) Vanswiet. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 1045. *tom.* 3. *p.* 323.

(c) Vide Nicol. Pis. *de Morb. cognos. & curand. lib.* 1. *cap.* 12. *p.* 82. Duret. *Sch. in Holler. lib.* 1. *c.* 9. *pag.* 64. *Sed praecipuè* Galen. *Method. medend. lib.* 13. *cap.* 21. *& sect.* 2. *in lib.* 1. *prorrhetic. sent.* 29.

Ex hac descriptione quivis facile coma à reliquis affectibus soporosis distinguet. Lethargus secum vehit febrem prima fronte levem, reipsa acutam: oblivionem inexpugnabilem: & in omnibus habet vim morbi per se existentis. Coma est morborum malignorum symptoma epigenomenon: oblivionem non inducit, utpote sensus communis operationes in eo non obliterantur: nec per se subsistit, sed aliarum affectionum vim causasque consequitur. Cum carus soporem profundum cum sensus & motus imminutione maxima includat, atque sine febre saepè invadat, nemo est qui eum à comate non discernat. Ex data descriptione duplex comatis genus agnoscimus, alterum somnolentum in quo aegri sopore continuo vexantur; alterum vigil dum scilicet externa facie somnolenti sunt, revera autem vigilant, atque ita afficiuntur, ut etsi non dormiant, vigilantium munia exercere non possint. Haec omnia fusè explicantur apud Galenum, qui, ut erat Graecae linguae peritissimus, videns Hippocratem in historiis epidemicis de comate saepè loquutum, & à veteribus malè intellectum, integrum *de comate* librum conscripsit minimè spernendum. Igitur in comate somnolento, dum solo sopore molestatur aeger, haec patitur: neque scitè, neque sapienter quid loquitur: difficulter sentit: acclamatus aut punctus excitatur quidem, sed non facilè, hinc velut immobilis ac mutus sibi relictus perpetuò jacet; at si surgat, melius res sibi oblatas accipit, atque dicta intelligit, cum, nullo negotio, decumbens in somnolentiam iterum convertatur. Sed si coma fuerit vigil, sentiendi movendique vim non difficulter exercet: audita voce aut sono facilè exurgit: si quis eum contingat, oculos statim attollit & in tangentem intuetur: si forte somno correptus sit, sese movet jactatque toto corpore, & repente exurgens mox revolvitur, ac desipiens quaedam minimè consentanea effutit. Utrisque autem commune est ut attollere oculos non possint, sed graventur, ac dormitantium imaginem prae se ferant: faciem habeant turgidam cum colore livescente: praegressam itemque febrem ex inflammatione viscerum, aut maligna eorum infectione natam: surditatem aut antecedentem comati, aut comitantem.

Typhomania est: affectio praeternaturam, qua aegri alternis vi

vicibus delirio, & sopore vexantur. In phrenitide, mania, melancholia, febribus malignis non rarò fit, ut aeger repentè exiliat, clamet, vociferetur, insolitis motibus agitatus inania loquatur, iisque cessantibus subito in soporem profundum delabatur (a). Quod dum alterna vicissitudine repetit, typhomaniam constituit. Commune tamen huic cum caeteris soporosis affectionibus est urinas mingere tenues, crudas aquae similes; aut instar jumentorum crassas: pulsus habere densos, convulsione contractos, languidos, inanes: situm corporis subinde mutare à capite ad lecti pedes delabendo: hiante ore dormire: & ad ea, quae offeruntur non bene se habere.

Catalepsis est: affectio praeternaturam, qua aegri subitò, respiratione illaesa, sensu omni privantur, ut sub ea forma, qua aprehensi sunt, diu immobiles permaneant. Hinc quod à Graecis *Catoche*, *Catalepsis*, à Caelio Aureliano *aprehensio*, *oppressio* vocatur (b). Catalepsis symptoma est non spernendum, lumbricis, affectionibus hystericis, stomacho ab inedia, aut atrabile languentibus, familiare, atque febribus mali moris, tum continuis, tum intermittentibus á viscerum inflammatione, aut corruptela nascentibus, magno semper discrimine, sed inopinatò supervenire solet. Igitur catalepsi correptus haec partitur: febris adest: situs supinus: colli distentio: genarum rubor: vocis defectio: subita sensuum ablatio: corporis immobilitas cum siccitate: palpebrae apertae & inconniventes: intentus obtutus, ita ut in quibusdam si ante oculos eorum digitos moveas, palpebrent, & suo obtutu manuum trajectionem sequantur, sed sine visione: subsultus tendinum: labiorum, superciliorum, & digitorum levis & involuntarius motus: dentium confixio vehemens, quandoque cum stridore: oris hiatus cum salivae fluore: pulsus celeres, inanes. Haec in catalepsi vehementi contingunt; sed ferè sic incidit, ut affectiones catalepticae quandoque debiles [illegible] fiant

(a) Vide Galen. *de Pulsib. ad Tiron. c.* 11. *& Comment.* 1. *in* 1. *prorrhot. Hipp. text.* 1.

(b) Vide Cael. Aurel. *Acut. Morb. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 95.

fiant sine omni sensus amissione, quae flatu, aut viscido muscidoque humore per alvum exeunte solvuntur: imò & sunt qui intento obtutu attendunt, & clamoribus excitati respicientes lachrymantur, nihil dicentes, sed volentium respondere vultum aemulantes, odoribus jucundis delectati, tetris affecti, atque puncti sentiunt, ut si eorum manum quis extenderit, eam recolligant, ac rebus acribus lacessiti horrescant, interimque eorum vultus rubore suffusus appareat. Catalepsim omnem accuratissimè describit Caelius Aurelianus: at levem ritè descriptam videant Tirones in Nicolao Tulpio, Scriptore optimo, tum ob accuratas & fideles morborum observationes, cum ob Latini sermonis singularem praestantiam (a),

Sub horum symptomatum praesentia, omni diligentia inquirant Tirones morbos eorum generatores, an intemperies partium, organi vitium, soluta unitas, aut omnia simul concurrant. Deinde seriò meditentur praeter plethoram & obstructionem, necessariò adesse debere vitium speciale spirituum quo praedicta mala foventur; etenim quae à Mechanicis de intercepto sanguinis per cerebri vasa motu, *spissitudine, immeabilitate* dicuntur nimis generalia sunt, infinitis propemodum morbis & symptomatibus applicanda, atque ad effectus potius quam eorum causas pertinentia, ut in generali Pathologia docuimus. Ad rem Vanswietenius Praeceptorem suum, summa, ut solet, moderatione emmendans, inquit: "Interim „tamen in catalepticis, quod vidi, inveni pulsum manifestum „in carotidibus, facies non semper erat turgida & inflata, „imo in quibusdam collapsa potius: adeoque videbatur san„guis ire, & per venas redire satis liberè. Verum illa quies „videtur in primis esse in subtilissimo fluido, quod à fabrica „arteriosa cerebri secretum per minimos canales nerveos mo„vetur, & cujus fluidi motus non à corde & arteriis pendet, „sed à mentis corpore nexae imperio producitur (b)." Igitur spiritus speciali & ineffabili diathesi infectos esse in soporosis

(a) Cael. Aurel. *loc. cit.* Tulp. *Obser. Medic. l.* 1. *cap.* 22. *pag.* 43.

(d) Vansw. *Comm. in Aphor. Boerhaav* §. 1038. *pag.* 313.

sis affectionibus, ex diversis eorum characteribus abundè deducitur, cum nullum ex memoratis symptomatibus, etsi omnia in sopore conveniant, sit in forma & specie alteri omnino simile. Cumque intimam spirituum diathesim vitiatam nobis perspicere datum non sit, intento animo in ejus effectus, & symptomata concomitantia inquirire ad laborandum. Ergo ex effectibus, & comitantibus signis superius adductis, sat manifestis, conjicere licet spiritus per hos morbos *narcosi* quadam infici vitae infestissima, interimque calorem cum siccitate in humore nativo cerebri hospitari, ut humidum vitale consumatur, aut dissipetur; idque interdum magna vi efficitur, ex quo fit ut affectiones soporosae non aequali vehementia molestent. Hujus orationis haec summa est. Aër speciali modo infectus: animi pathema vehemens: aut diaeta improvidè usitata, cerebri, aliorumve viscerum cum eo consentientium temperiem vitiat, suasque vires ei communicando sic immutat, ut duplicem simul effectum producat, nempe somnolentiam gravem, & consumptionem humidi nativi cum excessu caloris: quod velim Tirones prae oculis habeant ne nimium calidis medicamentis, sub praetextu cerebrum roborandi aegros consumant. Si his addantur, quae antea de Lethargo, & apoplexia, & quae in generali Pathologia de symptomatibus soporosis diximus, clarius ea quae adnotamus & facilius percipientur.

In harum affectionum curatione omnis animi intentio in extirpatione morborum à quibus pendent ponenda est, etenim qui de symptomate tollendo, nulla habita ratione morbi, curant, nihil agunt, cum effectum manente causa auferre nullo modò fieri possit. Juvat tantum verba Vanswietenii apponere, qui Magistrum emmendando, sic loquitur: "Negari »nequit, quod quandoque in mortem terminetur catalepsis, »sed simul constat certis observatis plurimos inde emergere »& quidem absque alio morbo sequente; in quibusdam ta»men sed paucioribus in epilepsiam aut convulsionem abiisse.. ».. Prudenter monuit Hoffmanus à calidioribus stimulantibus »abstinendum esse, si catalepsis ab humorum nimio orgasmo, »expansione, ac stagnatione orta fuerit. Neque in hystericis ca»talepsi correptis videtur tutus similium usus; dum enim va»lida talia stimulantia excitant aegros, convulsiones validis-

"simas faciunt aequè metuendas, & fortè plus nocituras: "imò plerumque non multum efficiunt, quod & propriis "observatis didici, & confirmatur illis quae in Actis Parisi- "nis habentur (a)."

APHORISMI.

I.

An soporari ubivis malum? (b).

Ex hac Hippocratis dubitatione monemur, attenta observatione in aegris soporatis inquirendum, qua vi, quibus causis, qua forma fiat sopor tum ad praesagiendum, cum praecipuè ad curationem ritè instituendam. Cataphoram quandoque leve malum esse jam vidimus. At reliquas affectiones soporosas ut plurimum perniciales, aut saltem periculosas esse, ex his quae paulo ante in earum signis tradidimus facilè innotescit.

II.

Somnus & vigilia, utrumque si modum excesserit malum (c).

Praeter ea quae de somno & vigilia cum naturali, tum praeternaturali in Institutionibus adnotavimus, aliqua nunc breviter advertere juvat. Si somnus delirium sedat, bonum inquit Hippocrates (d); ubi ipse laborem facit lethale; si verò juvat non mortale (e). Vidi aegros, à somno, majori delirio correptos, qui tandem periere. Alios, quibus somnus labores, nempe febrium incrementa, difficilem anhelitum, dolores, inquietudines & id genus alia induxit, summo discrimine, & ut plurimum letho comissos observavi. Sed si somnus in magnis morbis neque molestus per labores fuerit, neque delirium inferat, non propterea salutis signum est, cum per alia mala, bene dormiente homine, mors non raró succe-

(a) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1043. & 1044. *pag.* 320.

(b) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 91.

(c) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. sent.* 3.

(d) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. sent.* 2.

(e) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. sent.* 1.

cedat (a). Jam verò cum id, quod naturae modum quavis ratione excedit, malum sit, & somnum & vigiliam modum excedentia perniciosa esse quivis intelliget. Vigilia pertinax corpus solvit & exsiccat, atqueadeò aegrum nec diu, nec nocte dormire, aut dolorem praesentem, aut futurum delirium, aut convulsionem significat (b). Contra: somnus immodicus corpus reddit iners, citoque extinguit, ut homines diu vigilantes non rarò: soporatos, diu subsistentes difficillimè videas "& sane si experimenta & rationem consulamus (inquit „Tozzius) facilè conjiciemus longe deteriorem esse somnum „immoderatum pervigilio (c)."

III.

Somni comatosi cum refrigeratione conjuncti lethales (d).

Qui in febre acuta cum magno ardore primum vigiliis, deinde sopore corripiuntur in maximo versantur discrimine: si huic insuper accedat refrigeratio, aut sudatiuncula circa caput & frontem, etsi externa facie videantur allevati, moriuntur. Hermocratis historia ab Hippocrate relata nobis exemplo esse potest (e).

IV.

Comatosi etiamne quid habent convulsificum? (f).

Quamquam dubitanter hic loquatur Hippocrates, pro certo habendum coma, delirium suboscurum, & convulsionem in morbis acutis ita arctè conjungi, ut vix unum sine alio observare liceat.

V.

Comatosos, laboriosos, tum eos qui obsurduerunt, alvus prorupta subrubris excrementis adjuvat in ipsa crisi (g).

Alvus lubrica in comatosis interdum utilis, quandoque no-

G 2

(a) Vide Luc. Tozz. *in Comment. ad Aphor. Hipp. proxim cit.*

(b) Hipp. *lib Progn. sent 2. text.* 12. *& lib. 7. Aphor sent.* 18.

(c) Tozz. *Comm. in lib. 2. Aphor. Hipp. text.* 3.

(d) Hipp. *Coac. Duret. lib. 2. cap. 2. sent. 4. pag.* 93.

(e) Hippocrat. *lib* 3. *Epidem. sect.* 1. *aegrot.* 2.

(f) Hippocr. *Coac. Duret. lib. 2. cap. 2. sent. 9. pag.* 95.

(g) Hippocr. *Coac. Duret. lib. 2. cap. 2. sent. 5. pag.* 94.

noxia. Dum soporosi affectus ex phlegmone cerebri, aut viscerum inferiorum nascuntur, alvi fluxu non juvantur, nisi in bona crisi. At si mali fomes sit in prima regione, biliosis, crasis, crudisque humoribus scatente, ut saepè fit, quovis morbi tempore alvus lubrica prodest, imò & repetitis purgationibus ex rhabarbaro, mixtura simplici, aliisque hujusmodi medicamentis natura juvanda, praesertim si viae apertae, humores fluxiles, viresque constantes id efficiendum suadeant. Historia filii Pithonis ab Hippocrate relata (a) nobis exemplo esse potest. Praestiterit certe Vallesium nostrum in rebus practicis nulli secundum, de hac historia aliisque epidemicis consulere.

VI.

Defectivae febres (intermittentes) *tutae atque inoxiae frequentius esse solent quàm continuae, quamquam & in his periclitentur qui in accessionibus aprehensi conticescunt, vel raptu quodam terno per membra tentantur* (b).

Esse febres intermittentes periculosissimas propter soporosam affectionem in initiis accessionum ingruentem, quas nunc communi consensu Medici *pernitiosas* vocant, nemini ignotum, si vel mediocriter fuerit in praxi versatus. Nec eas tantum perniciosas quae caput sopore vel delirio infestant, sed & alio quovis modo aegros in summum discrimen adducunt, explicuit & delineavit accuratissimè Mercatus noster, à quo haec de febribus intermittentibus perniciosis doctrina saluberrima, tamquam ex purissimo fonte, in caeteras Orbis regiones manavit. Fatendum tamen vetustissimos Medicos Dioclem, Praxagoram, Archigenem, & Asclepiadem, praeeunte Hippocrate, de his febribus mentionem fecisse. Galenus olim, & recenter Baglivius adnotarunt, Romae frequentes esse febres periodicas mali moris. Addit hic gravationem capitis (*capiplenium* vocat) in aëre Romano esse familiarem (c). Sed mul-

(a) Hippocrat. *lib.* 7. *Epidem. numer.* 106. *ex Valles. edition.*

(b) Diocl. apud Cael. Aurel. *acut. morb. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 97.

(c) Galen. *Comm.* 2. *in l.* 1. *Hipp. de Morb. vulgar. text.* 25. *& de Morb. tempor. cap.* 8. Bagliv. *de Prax. Med. lib.* 1. *c.* 15. *num.* 6. *pag.* 100.

multo ante Asclepiades "apud Romam (inquit) frequentare „advertimus has febres cum corporis atque mentis oppressio„ne in similitudine lethargiae, quae secundo vel tertio in „statu accessionis constitutae statim recalefacto corpore, vel „cessante vehementia in resumptionem, atque resurrectionem „mediocrem revocant aegrotantes. At si levi figmento cessave„rint semel apprehenso aegro, nullam resolutionem dabunt, „sed in sudores, & respirationem celerem; in pulsum febrici„tantem desinunt, ac occidunt (a)." Totius orationis cardo eò vertitur ut intelligamus, ubique locorum invadere quovis anni tempore, sed praesertim autumno, febres intermittentes cum caro, comate, aut catalepsi conjunctas, quod dum Medicus videt, aut quod melius multò est, praevidet, statim nullaque interposita mora ad corticem peruvianum, tamquam remedium certè efficax & salubre confugiat, eumque sufficienti quantitate, quousque febris prorsus fugata sit, praescribat; qui enim venae sectionibus, purgationibus, aut aliis medicamentis curationem, relicto cortice, agressi sunt, aegros letho commiserunt. Baglivius de cathoco accessionibus febrium intermittentium superveniente minimè audiendus, etenim bis peccat; Primum quia venae sectionibus, & purgationibus extra accessionem, intendit morbum depellere; deinde quoniam de Kinae viribus in eo casu altum habet silentium (b).

VII.

Perniciosissimus est (carus) *si in declinatione febrium continuarum supervenit, vel febri non judicatae; item cephalalgiae, epilepsiae cum vocis, motus, & sensus privatione* (c).

Non modo carus, sed & catalepsis aliaeque affectiones soporosae in statu febrium acutarum supervenientes, perniciosissimae esse solent. Memini me vidisse anno 1738. febres continuas epidemicas, quibus circa undecimum morbi diem caeteris bene procedentibus, subitò convulsio cum caro, aut catalepsi aegros invadebat, summo eorum discrimine. Cessit tan-

(a) Cael. Aurel. *loc. cit. pag.* 99.
(b) Bagliv. *de Prax. Med. lib.* 1. *c.* 9. *de Apoplex. pag.* 68
(c) Kleinius *Interpr. Clinic. pag.* 274. *veb. Somus.*

tandem, morbus viribus corticis peruviani, ante horum symptomatum adventum ritè praescripti. "Secretarius Vasco (inquit Hollerius) in febris declinatione, & alvi profluvio, uri-
"nis benè coctis certam valetudinis spem praebentibus, cata-
"lepsi deprehensus uno die obiit. Aperto cadavere pulmones
"& hepar corrupta inventa sunt: serum quasi rufum cerebro
"posteriore contentum, & sanguis concretus in majore vena,
"quae medium caput praereptat (a)." Caeterum Vanswietenius de hac Hollerii observatione anatomica loquens, inquit: "Verum non videtur ex his observationibus concludi posse,
"quod in catalepsi semper tales causae adsint ..... Praeterea
"plures evaserunt ab hoc morbo, uti postea dicetur, neque
"adeò facilis sublatio illarum causarum videtur, quas in ca-
"daveribus invenerunt." Eodem loco Boerhaavii aphorismum de anatomicis observationibus eorum, qui catalepsi perierunt, limitibus certis concludens ait: "Multum prodesse ad
"intelligendas morborum causas cadaverum sectionem nemo
"dubitat: interim tamen magna cautela hic opus est, ne pro
"morbi causa habeatur illud, quod potius morbi effectus est:
"multa enim in cadavere inveniuntur mutata per morbum ip-
"sum, quae non praeextiterant ante morbum (b)".

CAPUT VI.

DE PARALYSI.

Paralysis, *paraesis*, *paraplegia*, *paraplexia*, *hemiplexia* à Graecis, à Latinis nervorum resolutio, est: *defectio motus, interdum etiam sensus, in aliqua aut pluribus corporis partibus, salvo capite.* Quamquam Hippocrati familiare fuerit apoplexiae nomine motus sensusque determinatae particulae privationem significare (c), tamen apud Graecos posteriores invaluit usus eo vocabulo omnem in toto corpore, ne capite quidem excepto, sensus & motus amissionem: unius autem

(a) Holler. *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 9. *in Schol. pag.* 63.

(b) Vanswiet *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1041. *pag.* 318.

(c) Vide Foes *OEcon.* verb. Ἀποπληξία, *pag.* 79.

tem partis similem affectionem propositis nominibus ostendere (a); quae cum non satis aptè explicuerit Boerhaavius, ejus discipulus Vanswietenius solita moderatione ex veterum mente optime declaravit (b). "Differt *paralysis*, *paraesis* ab apo»plexia (inquit Trallianus) quod in hac quidem totius cor»poris sensus & motus abolitio cum principum animae func»tionum noxa & quodammodo morte contingant: in illa »verò dimidia pars corporis, vel una moritur (c)." Paralysis est symptoma actionis quandoque abolitae, modo diminutae facultatis animalis non principis loco-motivae, interdum etiam sensitivae. Morbus hujus symptomatis generator est saepè intemperies, quandoque organi vitium. Cum morborum naturam intimam indagare nequeamus, sed per causas & effectus in eorum cognitionem ad medicos usus, pervenire datum sit (d), sufficit hic considerare intemperiem seu in vitiata proportione, seu in ipsa partium substantia speciali modo corrupta consistat, motus sensusque privationem inducere; quod ex dicendis ulterius clarius innotescet. Pars affecta est quandoque ipse musculus partis movendae: modò nervi ad musculos pro motu exercendo appellentes. Si musculorum organica structura ob contusionem, vulnera, aut alio quovis modo; vel temperies tum quantitate, nimia scilicet obstructione, plethora: tum qualitate, nempe exsiccatione, laxitate, resolutione: aut vitio substantiae quatenus haec consumpta, exinanita, corrupta, speciali modo debilitata, vitiata fuerint, paralysim membri inde venturam nemo ibit inficias. Quod si integro membro movendo, influxus cerebri per spirituum interruptam concatenationem (e) non accedat, motum inde deficere necesse est. Ergo dum Medicus partem paralysi tentatam videt, omni diligentia eam investigando observet, num ejus temperies aut organica structura benè valeat, an vitio laboret. Quo facto, si ea integra sit, animum applicet ad considerandos nervos, quorum accessu ad partem,

(a) Vide Aret. *de Caus. & Signis morb. chronicor. cap.* 7.

(b) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1018. *pag.* 289.

(c) Alex. Trallian. *lib.* 1. *cap.* 16.

(d) *Pathol.* 3.

(e) *Physiol.* 66. & 117.

tem, cerebri fit cum ea consensus. Galenus cum videret Medicos resolutionem digitorum manus in Pausania sophista curare non posse per medicamenta ipsi parti resolutae improvidè applicata, mutato consilio, per remedia spinali medullae apposita eo loco unde ad digitos affectos nervi decurrunt, aegrum sanitati restituit (a). Considerandum etiam est, num paralysis sit perfecta dum scilicet motus & sensus abolentur in parte; aut imperfecta, quae fit, cum aut solus motus deest permanente sensu, aut motus simul cum sensu minuuntur, etsi integrè non deficiant. Solet etiam haec affectio particulam unam velut brachium, crus, manus aut digitos laedere, interdum dimidium corpus à capite ad calcem occupare. Nec semper ex se ingruit, sed modò vi propria, modò aliorum morborum pedissequa. Ita apoplexiae non lethali, colicis doloribus, arthritidi, cachexiae, aliisque hujusmodi aegritudinibus non raró succedit.

Causae occasionales internae paralysis sunt plethora & obstructio cum speciali laedendi modo. Si musculi nimio repleantur sanguine, aut vitioso humore, ut neque contrahi, laxari, variisque motionibus agitari valeant, impotentes fiunt ad motum, quod in obesis, plethoricis, fluxionibus, humorum nimio ad eos appulsu fieri solet. Si copiosa nimis sanguinis humorumque repletio eas occupet partes, quibus nexus cerebri cum particula movenda intercedit, impeditur communicatio & consensus necessarius ad motum. Sic quibus suppressae sunt haemorroides, cutaneae excretiones, pustulae, arthritides, aliaque id genus Naturae purgamenta, in paralysim nullo negotio incidunt. Notandum in transitu, musculorum, nervorumque nimiam repletionem non semper paralysim, sed alios saepè morbos, cachexiam, arthritidem, rheumaticos dolores producere, quod absdubio ex speciali diathesi & laedendi modo procedit. Quemadmodum partes omnes certis Naturae legibus diversas exercent operationes, quibus nutriuntur, expellunt sibi noxia, aliaque agunt earum conservationi & usui consentanea, ut in Phisiologia vidimus, sic etiam inexplicabili laesionis forma ita afficiuntur per

(a) Galen. *de Loc. affect. lib.* 3. *c.* 10.

per morbos, ut una partis actio laedatur, reliquis integris; quod advertere placuit, ut Tirones intelligant, non vanis theoricis ratiociniis, sed practicis observationibus Naturae laesae opera, modosque laedendi esse investiganda. Ex dictis supervacaneas quisque judicare peterit ab Autoribus excitatas quaestiunculas de motu deperdito manente sensu, & contra: cum facile sit ut specialis laedendi modus, seu determinata humorum diathesis eam solùm partis vim attingat, quae sentit, non eam qua movetur, quemadmodum in caeteris morbis una saepè actio partis affectae laeditur, reliquis illaesis. Accedit, nervos ex medulla & membrana constitui (a) atque facile posse illam, hac integra, corrumpi, & contra: ex quo necesse est, paralysim cum motione impedita, valente sensu, & vicissim aliquando venturam. Causae efficientes externae aliae vitium organi, aliae intemperiei producunt. Contusio: casus: vertebrarum disjunctio: ictus: aliaque id genus multa organicam cum nervorum, tum musculorum fabricam laedendo, motus sensusque privationem inducunt. At somnus in loco humido velut in spelunca: domus recens polita: Lunae radius: somnus justo longior: exercitium à cibo: vini, rerumque somniferarum abusus: nova è gipso politura: animi pathemata vehementia: otium cum copioso cibo: rerum venenatarum, sed praecipuè plumbi vapor (b): & id genus alia intemperiem creando paralysim generant. Sed omnium causarum potentissima est aër cum manifestis, tum occultis viribus infensus. Igitur temporis constitutio pluviosa, frigida, humida: calida etiam, sicca, & urens, diversis laedendi modis hanc affectionem producit; equidem frigidum densando & extinguendo: humidum replendo & relaxando: calidum inflammando, urendo: siccum exhauriendo, nervos & musculos sic afficiunt, ut eos ad motum ac sensum impotentes reddant. Qui domos recens constructas, calce & gipso obductas & politas habitant, ex aëris ambientis frigiditate & humiditate in morbos capitis facilè incidunt, tum praecipuè senes, aut alio quovis modo

H de

(a) *Physiol.* 29.
(b) Vide Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1060. *p.* 357.

debilitati: quod dudum Galenus, deinde Hollerius, demum Boerhaavius adnotarunt (a). Sed divina illa & occulta aëris vis in morbis producendis ad paralysim ita confert, ut mirum non sit, quibusdam annorum tempestatibus hunc morbum prae caeteris vigere, & epidemicè, hoc est, populariter grassari, ut alibi ex Hippocratis doctrina monstravimus (b).

Tametsi paralysis ex se incipiens nec aliorum morborum consectanea repentè invadere soleat, non rarò eam praeveniunt capitis gravitas cum dolore, vertigines, insolita rerum oblivio, membrorum torpor, somnolentia, appetitus prostratio, impotentia ad motum. Quod si corpus obesum, obstructum, otio vinoque labefactatum fuerit, facile aditus ad hunc morbum suscipiendum patet. Eo jam ingruente, subitò motu, modo etiam sensu privatur nunc dimidium corpus, nunc aliqua tantùm particula, ut lingua, labia, oculus, manus, pes, &c. Sub hoc statu facies quibusdam pallet, aliis rubore suffunditur, ut observatione fideli censtet, si caetera consentiant, eos huic morbo proniores, quibus facies fuerit rubra & pustulis foedata, integra valetudine: pulsus parvus, celer, languidus, obscurus: urinae sanorum similes, aliquantum in aqueam cruditatem vergentes: febris ut plurimum lenta pauco calore, sed periodis distincta se prodens: mentis hebetudo: omnium functionum inertia. Crescente morbo his omnibus accedit facilis in iram propensio: mentis alienatio: animi atque rationis inconstantia: sensuum omnium hebetudo, rerum concupitarum difficilis explicatio, ut designandis iis vocabula non inveniant, cumque manuum, pedum motionibus, totiusque corporis nixu explicare conentur quod velint aut optent, id minimè consequi possunt. Interea nugas garriunt, levissimis de causis, imò & nullo negotio lacrymantur, saliva injussa ex ore fluit, neque res sibi noxias depellere valent. Pars morbo confecta languet, & con-

(a) Galen. *Comment. I. in lib. 1. Praedict. Hippo. text.* 8. Holler. *de Morb. intern. l.* 1. *cap.* 10. *in Schol. p.* 73. Boerhaav. *Aphor. de Cognosc. & curandis mor.* §. 1060.

(b) Vide *Illustrat. in Hippo. Epidem. lib.* 1. *constitut.* 3. *text.* 1. *pag.* 101.

contabescit, dum ei opposita probè nutritur; nec alienum est eamdem intumescere. Morbus hic ut plurimum longus est, in pueris difficilè, in senibus nullo modo sanabilis. Sunt qui ab eo post multas aerumnas & longam medicationem in sanitatem reducantur, ita tamen ut integrum membrorum robur rarissimè recuperent. Duplicem habet exitum: aut in sanitatem imperfectam, ut diximus, aut in exitium; atque ferè sic incidit, ut per menses aliquot, annum, aut amplius vitam ducant tristem, donec adveniente lethargo, caro, apoplexia; aut frebre soporosa extinguantur.

Curatio ita constituenda, ut plethorae, & obstructionis habeatur ratio, cum in venae sectione, tum in reliquis medicamentis praescribendis. Igitur si ex signis plethorae satis constet eam adesse, vena secanda est, ea semper cautione, nervos scilicet affectos nimia sanguinis extractione non multum juvari. Emetica his parum prosunt, nisi primae regionis, ut vocant, impuritates huic morbo fomitem dederint. Ergo omni opera innitendum, ut optima diaeta, longo temporis intervallo, malum restinguatur. Jusculum ex viperis, addito nasturtio aquatico, becabunga, aliisque vegetabilibus levi stimulo obstructiones tollentibus, communi usu receptum, utilissimum est. Prosunt iteratae quibusdam intervallis purgationes ex rhabarbaro, aloe, agarico, & similibus, cum nihil aeque conferat in morbis nervorum, ac ventris totiusque corporis impuritates consultò depellere. Sed mutare locum, si unquam alias, hic locum habet, aegrumque ad balneas ire; non quo thermas bibendo corpus aqua inutiliter imò noxiè repleat, sed ut commodis lavationibus nervos & musculos ab impuritatibus liberando confortet. Nostris temporibus tentata est curatio paralysis per vim electricam, quae concussu & agitatione scintillis igneis, fulminis instar, excitatis partem affectam commovet. Modum aegros disponendi ut machinae electricae vires effectusque experiri possint. amplissimè describunt Neoterici (a). Curationes paralyticorum, aliisque nervorum morbis laborantium sat mirabiles ac numero multas in Haeno Vindobonensi Medico, aliisque videre

 li-

(a) *Vide inter Disputationes Pathol.* Haller. 2. 3. *&* 4. *tom.* 1. *p.* 19. *&* *seq.*

licet. Nec desunt inter recentiores qui viribus electricae machinae in curanda paralysi parum fidunt (a). Parisiis plura tentata sunt experimenta & quidem solemniter pro paralyticis ope electricae machinae sanandis, sed sine fructu (b). Nihilominus laudandi conatus, dum nova indefesso studio pro aegris sanandis parantur remedia, quae id saltem habeant commodi ut si non juvent, ne minimum quidem noceant. Propterea Tirones monendi, ut in hoc, sicut in pluribus aliis nostro aevo inventis, perpetuò illud Hippocratis in mente habeant: *Nihil temerè affirmandum, nihil contemnendum* (c). "Interim tamen & hic cavendum est (inquit Vanswietenius) »ne tantus motus destruat nervos, quibus curandis adhibe»tur; vel & in partibus non affectis noxam producat.... nu»merosissima circa vim electricam à viris celeberrimis ins»tituta fuerunt experimenta, quae summam ejus efficaciam, »sed & simul periculum docuerunt, dum minus prudenter »haec experimenta tractarentur (d)."

APHORISMI.

I.

Paralysis nonnumquam acutus, saepè longus, ferè insanabilis morbus est (e).

Non raró incipit paralysis cum febre leni & acuta, quae celeriter septem aut novem dierum spatio, spirandi difficultate, viriumque impotentia aegrum jugulat. Errant ergo qui eam ad morbos chronicos perpetuò relegant. At licet omnis nervorum resolutio ferè insanabilis sit "ea tum maximè esse »solet quae à nervi praecissione incidit: aut à vertebrae cer»vicis transversa luxatione: aut quae in vetustatem incidit: »aut in qua pars resoluta multùm refrixit & emarcuit, op»po-

(b) *Vide Dissert.* 4. *inter Disput. Haller. tom.* 1. *pag.* 62.

(b) *Vide Dictionar. Medic. universal. tom.* 6. *in Indice, verb.* Electricitè.

(c) Hippocr. *l.* 4. *Epidem. sect.* 2. *text.* 18.

(e) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1068. *pag.* 382.

(e) Cels. *de Medic. lib.* 3. *cap.* 27. *pag.* 178.

„posita verò magnam accessionem habet caloris, coloris, & „molis (a)."

II.

Ubi pars resoluta est, pro vi & malo corporis vel sanguis mittendus vel alvus ducenda (b).

Graeci mediocriter mitendum esse sanguinem ex parte integra; secus Arabes ex utraque parte missionem sanguinis consulunt. Sed ex Holleri prudenti consilio, *Graecis tutius adherebis* (c).

III.

Manus dextera paralysi cum convulsione affecta est (d).

Hippocrates in historia mulieris gravidae notat, die tertia in paralysim manus dexterae incidisse cum convulsione: quod in praxi saepè contingere videmus non in manibus tantùm & brachiis, sed in lingua, labiis, cruribus, aliisque partibus, quae simul resolutae, & convulsae apparent. Discimus hinc non omnem paralysim cum laxitate & mollitie nervorum, sed non raró cum eorum tensione & siccitate conjungi. Boerhaavius paralysim vocari ait musculi laxam immobilitatem (e). Contra Sauvages. "Non immerito, inquit, „veteres Medici paralysim aliam à laxitate, aliam à strictura „deducebant, atque erronea videatur paralyseos definitio à „Neotericis accepta, scilicet motus sensusque privatio cum „partium laxitate (f)." Hoc monitum ad curationem paralysis confert, nam omnes paralyticos medicamentis calidis, acribus, & laxitati oppositis tractare noxium est, cum saepè humectare, temperare, blandeque resolvere oporteat. Omnium optimè Trallianus cum paralysim aliam à frigore cum humiditate: aliam à calore cum siccitate fieri animadvertisset, tum demum inquit: "At si qualitas sola fuerit calida & „sic-

(a) Duret. *Enarrat. in cap.* 10. *de Paralyt. remed. pag.* 74.

(b) Cels. *de Medic. lib.* 3. *cap.* 27. *pag.* 178.

(c) Holler. *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 68.

(d) Hipp. *lib.* 1. *Epidem. aegrot.* 13. *Vide Illustr. nostr. ad hunc loc. pag.* 243.

(e) Boerhaav. *Aphor. de Cognosc. & curand. morb.* §. 1057.

(f) Sauvag. *de Hemiple. per electr. curand. in Haller. Disp. Pathol. t.* 1. *pag.* 32.

„sicca, tum extenuantia, calefacientiaque (omnia enim hujus„modi nativum humorem consumunt) magis adhuc assant „materiam crassioremque reddunt. . . . Atque refrigerantibus „sensim & humectantibus potionibus & cibis utendum ma„gis consulo. . . . . & si fieri possit, etiam citra vinum aeger „degat sola tepida aqua usus, id multo quoque melius est. „Bibant autem qui assueverunt etiam in medio cibi aquam „frigidam cum vino. Talibus igitur purgans aliquod medi„camentum praebere commodum non est, universa namque „ipsis inimica sunt (a)." Si Medici attentè observent, haec omnia in paralysi à bile atra, ab humore arthritico, ab herpete, ab ulcusculis, & scabie improvidè sanatis, aliisque hujusmodi malis cum calore & siccitate conjuctis, vera esse comperient.

IV.

Sane stomachum etiam, & intestina & vesicam, oblongumque intestinum usque ad principium, id est anum, idem vitium (resolutionem) *pati existimo: sed interiora membra resoluta latent obscuraque sunt: imperfectae verò sunt ac dimidiatae eorum functiones* (b).

Non veram paralysim, sed impropriam adnotat hic Aretaeus, quae monente Avicenna (c) in *molificatione*, hoc est, laxitate ac effaeta vi partium consistit, earumque functiones nec citò, nec facilè, nec validè, ea presente, fieri possunt. In senibus, ataxia spirituum laborantibus, foeminis hystericis, in scorbuticis, rachiticis, aliisque hujusmodi morbis videre licet crurum impotentiam, vesicae in lotio expellendo tarditatem, ventriculi in coquendis cibis languorem, musculorum abdominis in excrementis alvi excernendis inertiam, sexcentaque alia hujus generis mala, quae non venae sectionibus, purgationibus, aut medicinis calefacientibus, qualia paralysi congruere censetur, sed nutrientibus, roborantibus citra caliditatem, & cuivis horum morborum diathesi emendandae opportunis, sunt tollenda. Fortè crurum impotentia quam

(a) Trallian. *lib.* 1. *cap.* 16. *pag.* 73. & 77.

(b) Aret. *de Caus & sign. morb. diuturn. lib.* 1. *cap. pag.* 33.

(c) Avicen. *lib.* 3. *fen.* 2. *cap.* 2.

quam passus est Boerhavius post rheumaticam lumbaginem, non paralysi, sed membrorum effaetis, languidisque viribus est tribuenda (a); mihique saepè subiit cogitatio, num tot tantaeque curationes paralyticorum in Medicorum libris prostantium, si fortè omnes verae sint, de vera paralysi, aut imperfecta tantùm intelligi debeant?

V.

Mulieri dextra manus & crus sinistrum ex tussiculari affectu, cum tenue quidpiam, & nulla penitus ratione dignum extussivisset, resoluta fuerunt paraplectico modo, &c. (b).

Consensum partium vitalium cum cerebro & nervis in Institutionibus satis monstravimus, ut non mirum sit per afectionem thoracis hanc mulierem in paralysim incidisse, quemadmodum qui hydrope pectoris laborant brachiorum resolutione tentantur (c). Discimus hinc, paralysim ex aliorum morborum successione saepe nasci, sed potissimum ex humorum à capite defluxu in spinalem medullam, ut senibus, levissimis de causis, ob caloris defectum catharro tentatis contingit (d): ex uteri, partiumque vitalium affectionibus, ut mulieri de qua hic agit Hippocrates: & ex intestinorum doloribus (colicos nunc vocant) frequenter hic Matriti fieri videmus. Colicam pictonum ex Medicis quamplures eam affectionem nominant, quoniam apud Pictavienses endemice grassari quondam visa est; sed multo antiquiorem apud varias gentes esse colici doloris in paralysim terminantis, imò & in epilepsiam, observationem, ex Pauli AEginetae Scriptoris praestantissimi verbis licet intelligere. "Puto autem, inquit, colicam affectionem, quae etiamnum regnat, ex hujusmodi provenisse humoribus (intellige acribus & rodentibus) quae ab Italiae quidem regionibus incepit, in aliis autem multis Romanorum Reipublicae locis, pestiferae cujusdam luis modo sit grassata: ex qua plerique in morborum comitialem, alii in mar-

(a) Vide Vanswiet. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 1060. *pag.* 354.

(b) Hippocr. *lib.* 2. *Epidem. sect.* 2. *text.* 8.

(c) *Vide Histor. Morb. Uratislav. de Hydrop. pect. cap.* 1. *pag.* 437.

(d) Vide Hippocr. *lib.* 1. *Epid. sent.* 2. *text.* 20.

„artuum resolutionem sensu incolumi, nonnulli in utramque „sunt prolapsi; ac eorum, qui in comitialem morbum inci- „derunt, plures interiere: ex illis verò qui in resolutionem, „plures evaserunt, tamquam in crisi, causa aliorsum ex loco „quem infestaverat, conversa (a)." Subjungit Paulus Medicum quemdam aegros ita affectos rebus frigidis lactuca, intybo, posca, aqua refrigerata, etsi epilepsia & paralysi tentatos, propemodum sanitati restituisse. Sed haec agentes de dolore colico ulterius illustrabimus.

VI.

Stupor paralysim portendit (b).

Dum pars aliqua, validis viribus, sensum aut imminutum, aut omninò sublatum experitur, stupore affici dicitur, qui ut plurimum nuntius apoplexiae, aut paralysis esse consuevit (c). Excipiuntur tamen quibus familiare esse solet, ut subinde quaedam corporis partes stupeant absque magno malo. "Novi quosdam (sunt verba Vanswietenii) qui jam per „multos annos talem stuporem patiuntur dum huic aliive la- „teri incumbant diutius, imò & saepe vigilantibus idem con- „tingere solet. Initio metum incusit hoc symptoma, sed cum „nullum inde malum secutum fuerit, inceperunt securi es- „se (d)." Qui scorbuto laborant, saepè stuporibus quarumdam partium vexantur sine magno periculo, annotantibus id Willisio & Medicis Uratislaviensibus (e), quod ipse propria observatione confirmavi.

VII.

Ego verò etiam crusta inurere non dubitarim per ignem aut medicamentum. Unam quidem circa occipitis cavitatem, quo loco spinalis medulla initium habet: duas autem ab utraque ipsius parte: tres aut quatuor in vertice, unam ex his in medio capitis, tres circum ipsam. Ulceribus enim diutius fluidis permanen-

(a) Paul. AEgin. *lib.* 3. *cap.* 13. *pag.* 152.

(b) Rhasis. *de Re Med. ad Mansor. lib.* 4. *cap.* 8. *pag.* 95.

(c) *Vide supr. cap.* 4. *aphor.* 6.

(d) Wanswiet. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 1020. *pag.* 292.

(e) Willis. *de Scorb. cap.* 4. *pag.* 587. *Histor. Morb. Uratislav. ann.* 1702. *pag.* 321.

nentibus non despero perfectam restitutionem (a).

Cauteria tum *actualia*, ut vocant, ex igne, tum potentialia ex vesicantium applicatione, ut ex Archigene tradit Aetius, à vetustioribus jam proposita Medicis, proculdubio sunt maxima in paralysi curanda remedia. Per fonticulos id ipsum effici posse monstrat Freindius hac de re consulendus (b). Igitur in paralysi, quam intento animo viderit Medicus non à debilitate aut fatiscente virtute, sed ab obstructione, aut alio quovis modo impedito spirituum motu procedere, audacter ad vesicantium & fonticulorum usum se accingat, eaque inter scapulas juxta spinam dorsi, in ipsa aegra parte, aut alibi pro re nata apponat, inquirendo ante omnia ex anatome ortum nervorum ad resolutam particulam tendentium, ut in eo remedium praecipuè applicet. Quomodo, quibusve cautelis fonticuli, & cauteria applicanda sint, aptissimè exposuit Lera noster in tractatu de *Fonticulis*, magni quidem usus in medicina facienda.

VIII.

Omni resolutioni nervorum ad medicinam non idonea tempora sunt hiems & autumnus: aliquid sperari potest vere & aestate; isque morbus mediocris vix sanatur, vehemens sanari non potest (c).

Celsi sententiam, quam ex Hippocrate excerpsit (d), sequantur Medici, si velint aegrorum utilitati, propriaeque famae consulere.

(a) Aet. *tetrabibl.* 2. *serm.* 2. *cap.* 28. *pag.* 292.
(b) Freind. *Histor. Medi. ann.* 500. *in Aet pag.* 145.
(c) Cels. *de Medicin. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 75.
(d) Vide Hippocr. *lib.* 2. *Praedict. text.* 171.

CAPUT VII.

DE VERTIGINE.

QUod Latini uno vertiginis vocabulo, Graeci pluribus declarabant (a). Vertigo est: *affectio praeternaturam, qua corpora reipsa consistentia, veluti in motu concipiuntur.* Duobus modis id fit: saepè enim corpora quae aegrum circumstant, ipsi moveri videntur: interdum non alia, sed proprium ipsius corpus, revera stans, quasi in motu positum percipit. Neque uno tantum motionis genere agitari comprehendit, cum modo huc illucque, modo in gyrum, non raró undarum more versari omnia sibi videantur. Symptoma est facultatis animalis principis nempe imaginationis laesae, nam etsi sensorium commune affectum praecipuè sit, tamen eam mentis operationem, quae in sensu communi peragitur ad imaginatricem facultatem pertinere in Physiologia monstravimus (Physiol. tract. VI. n. 187.)

Pars affecta est ea cerebri pars, qua sensus communis residet, etsi in oculis aliquod vitium hunc morbum fovens reperiri possit. Igitur rerum corporearum imagines per oculos in cerebum delatae, affectionis morbosae vi alterantur, eamque adquirunt motionis formam, quae spiritibus morbo corruptis competit. Jam veró spiritus ita vitiantur, ut in motus praeternaturales adigantur, non utcumque, sed tales qui in gyros, circumvolutiones, variasque motionum undequaque formas cogantur. Cum ita comparati simus, ut anima lege unionis cum corpore, objecta debeat necessarió percipere juxta varias ejusdem corporis dispositiones (Physiolog. Prop. II. n. 141.) inde fit ut corrupta & vitiata animae cogitantis sede, ejus pariter cogitationes perceptionesque vitientur. Nec uno tantum laesionis modo corrumpuntur animae

(a) *Cum omnia circumagi videntur* Dinos. *Quando repentinae tenebrae oculis offunduntur sine circumactione, aut illa sanè levi*, Scotoma. *Dum utrumque contingit*, Scotodinos *à Graecis dicitur, seu tenebricosa vertigo.*

mae actiones ob labem corporis, sed & diversas inde accípiunt offensionis formas, variis corporis laesionibus respondentes. Sic alio modo laeditur mens in phrenitide, alio in melancholia; praeternaturam afficitur imaginatio in rabie canina diverso prorsus modo ac in tarantulae, aliorumque venenorum infectione. Etsi sensorium commune in vertigine necesse vitio morboso afficiatur, non rarò à pulmonibus, hypocondriis, utero, aliisve partibus, sed maximè ore ventriculi male affectis, cerebro in consensum ducto, nasci solet. Neque eodem semper gradu invadit vertigo, cum modo debilis, modo vehemens: interdum cum visus obscuritate, saepè crurum temulentia infensa sit. Morbus hujus symptomatis productor est intemperies cerebri, ejus praesertim particulae, qua sensus communis residet, ac licet difficile sit hujus intemperiei propriam & specialem indolem agnoscere, ut in Pathologia vidimus, (Pathol. 3.) tamen ingenuis observationibus monemur, ad vertiginem producendam praesto esse calorem nimium, & parum firmam aëreamque spirituum constitutionem. Accedit praeterea summè agitabilis spirituosae substantiae conditio, ita ut propter tenuitatem quavis de causa agitetur: ob nimium calorem in motus adigatur inordinatos: ob promptam denique ad quosvis recipiendos motus propensionem cito in varias motionum formas impellatur. Fatendum tamen est, praeter haec omnia specialem laedendi modum hic concurrere, atque adeo non modo ab intemperie calida, sed á temperamento cerebri quoad substantiam vitiato vertigines nasci (Pathol. Prop. II. 10.)

Causae occasionales vertiginis sunt, ut in caeteris quibusvis morbis, plethora, obstructio, & diathesis. Dum plethora caput replet, & sanguinis haemorragia instat, aegri prius vertigine corripiuntur. At humore crudo aut vapore, spiritu flatulento seu pituitoso seu melancholico imbuto, obstructionem efficiente, vertigines importunae molestant; ita ab haemorroidibus detentis, mensibus suppressis, aut alia quavis seu per vomitum, seu per corporis habitum excretione detenta vertigines nascuntur. Quod si specialis spirituum diathesis per eorum ataxiam, imbecillitatem, particularem indolem his omnibus accedat, longe molestiores producuntur vertigines. Sic homines studiis litterarum incumbentes,

melancholici, scorbutici, aliisque id genus affectionibus correpti, vertiginosi nullo negotio fiunt. Causae efficientes diaeta nempe, animi pathemata, & aër modo seorsim, interdum junctae, ut in causis occasionalibus contingit, ad vertiginem inducendam concurrunt. Igitur quod ad diaetam spectat, solis aestus improvidè susceptus indeque nata *syriasis* seu insolatio: exercitatio immodica, aut humorum quavis de causa incalescentia & agitatio nimia: rotarum circumactus, aquarum vortices, profundarum rerum ab alto inspectio in debilibus nec assuetis: alimentorum flatu replentium corpus, infarctus: inedia longa in biliosis, melancholicis, aut succorum pravorum copia redundantibus, ad vertiginem creandam plurimum faciunt. Videndus Theophrastus, qui in eleganti tractatu de vertigine accuratè haec omnia persequitur. Inter animi pathemata ira & timor vertigini generandae prae caeteris conducunt. At aër omnium maximè vim habet ad hunc morbum producendum, etenim auster diu perflans ex Hippocrate vertiginem creat (a). Quemadmodum aër terram certis constitutionibus concutit eamque tremere facit, aliis autem vortices, concussus, variosque agitationis modos producit, quid vetat quominus in corporibus dispositis vertigines, inordinatosque motus procreet? Id certum est, eos qui vertigini propensi sunt, determinatis temporibus eo morbo potius quam aliis tentari, ita ut periodos aëris constitutioni respondentes experiantur.

In vertigine propendent hypocondriaci, scorbutici, morbo siccatorio & flatuoso affecti, atrabile, ventriculi languore, arteriarum capitis pulsatu, narium haemorragia, uteri passionibus & vaporosa difflatione tentati, & quibus hepar calidius bilem in ventrem rejicit, itemque arteriosum genus intemperatum est plenum fervido & spirituoso sanguine, in eamque potissimum austro regnante, vere & autumno incidunt. Dum vertigo ingruit nunc caput, nunc externa corpora turbinis in modum circumduci videntur, auribus murmur veluti delabentis cum strepitu fluminis insonat, timorque cadendi

aegrum

(a) Hippocr. *lib.* 3. *Aphor. sent.* 17

aegrum occupat. Crescente morbo praeter haec omnia gravitas adest capitis, splendida quaedam oculis inter multas tenebras sese offerunt, tibiae solvuntur & vacillant, pulsus arteriarum capitis, temporum praesertim aut occipitis, & in quibusdam veluti sensus mallei intus percutientis. Neque nimium calorem nec immodicum frigus sub hoc statu sine accedente vertigine sustinere potest aeger, quinimo ad quaevis negotia adstrictus impotens redditur, cum enim affectio haec per periodos repetat, levibus agitationibus malum excitatur. Nec oculis apertis tantùm, sed & clausis haec affectio molestat, ut de se ipso narrat Heredia (a). Vertigo ad morbos longos pertinet, etsi celeres sint singulae ejus repetitiones, quae si saepius revertant, periculosam indicant affectionem, cum ex ea in maniam & epilepsiam, interdum in apoplexiam facillimè fiat conversio. Solvunt vertiginem sanguinis effusiones per nares, uterum, haemorroides: vomitus copiosi diutiusque repetentes pituitae spumosae seu acidae, seu dulcis: exanthematum per totum corpus aut in pluribus saltem partibus eruptio: sudores vi naturae sponte prodeuntes: corruptorum humorum per aures purgatio: quae omnia pro varia aegrotantium idiosincrasia, varias solutionum formas attentè observandas inducunt.

Curatio vertiginis in eum debet collimare scopum, ut cruditates ex calore vitentur, liberaque perpetuò sit vaporosae substantiae diffiatio. Maximè commendanda est exercitatio lenis: alimentorum tenuis substantiae assumptio: potus ex vino aqua permixto: alvi lubricitas non vi medicamentorum purgantium, quae continuata exsiccant eam & corrumpunt, sed ope herbarum & fructuum humectantium. Hinc intybus, lactuca, poma redolentia cocta, pira, aliaque hujusmodi magni usus sunt in hoc morbo. Vitare oportet repletionem, insolationem, ventum, Solis, Lunaeque radios, aspectum rerum velociter motarum, somnum diurnum, hypocausta calida, animi perturbationes vehementiores, & longa studia; etenim haec omnia vertiginosos praecipuè laedunt. Venae sectio tunc locum habet cum morbus à plethora, aut sanguine quo-

(a) Petr. Mich. de Hered. *de Vertiginosa febre cap.* 1. *pag.* 374.

quovis modo suppresso oritur; secus non modo nocet, sed & vertigines saepe auget, & apoplexiam inducit. Purgatio quantum fieri potest vitanda, nam agitationem & exsiccationem post se relinquens vertigini parum prodest, quinimo eam saepius exasperat. Clisteres pro re nata utiles sunt; cavendum tamen ne aegros ob senium aut labores viribus exhaustos nimiùm debilitent. Crurum frictiones in vertigine sicut & in affectionibus flatuosis plurimum valent. Cunctatio hic si unquam alias proficua est; nihilque magis noxium quàm vertiginosos pluribus medicamentis onerare. Quod si necessitas quandoque cogat quidquam interius praescribere, remedia ex rosis viridibus in formam syrupi redacta, aut conserva è ribesiis, granatis, cidoniis, fragariis, aliisque acidis vegetabilibus motum spirituum sedantibus, proficua esse observatione constat. Si vertigo à partibus inferiobus cerebro labem communicantibus procedat, iis à Medico cognitis earumque vitiis; juxta cujusque naturam remedia debet apponere (a).

APHORISMI.

I.

Febrem non habenti, appetitus dejectus, oris ventriculi morsus, & tenebricosa vertigo, & os amarescens, sursum purgante opus esse indicat (b).

Rectè monuit Galenus ex oris ventriculi affectionibus bile eam partem occupante capitis morbos oriri (c). Sed id praesertim notandum, humores calidos, seu atraebilis, seu pituitae inflammatae participes in ventriculo commorantes, vertiginem molestam inducere, quae non nisi vomitu seu natura, seu arte blandè procurato evanescit. Ex vero Aetius "Vaporibus calidis, inquit, & acribus ad caput delatis, & animalem in cerebro spiritum evertentibus, demum hebetudines quaedam in oculis fiunt, postea etiam aurium sonitus assidui & auditus gravitates, atque haec maximè contingunt circa ciborum coctionem & ubi ex somno exurgunt; auges-cen-

(a) *Vide Pathol. nostr. tract.* 3. *XII. num.* 55.

(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 17.

(c) Galen. *de Loc. affect. lib.* 5. *c.* 6.

„cente affectione vertigines & obtenebrationes oboriuntur, „ut putent se videre omnia circumverti. Contingit hoc etiam „ubi confertim ex sellis surrexerint, cruditate quadam prae„gressa. Perseverante verò diutius malo ex facili occasione „vertigine afficiuntur, ut etiam concidant aliquando.... Fa„cile corripiuntur hac affectione quibus consuetae excretio„nes sunt suppressae. Sed & cruditates & ardores assidui, & „ebrietates affectionem hanc efficiunt; consequitur & alvi „suppressio & propterea multa inflatio, & urinarum tenuium „ac paucarum excretio, materia ad caput accurrente, gra„ciles autem in totum ferme fiunt, & pigri ad omnem agres„sionem (a)." Discimus hinc ex calidis rebus vertigines nasci, atque cruditates eas affectiones generantes, spirituosis, calefacientibus, & acribus medicamentis exacerbari.

II.

Quae ab initio cientur vertigines, haemorragia exolvuntur (b).

Dantur febres quibus ita familiaris est vertigo, ut eas perpetuò ab initiis ad finem usque comitetur, quas propterea vertiginosas appellant. Egit de his Heredia noster subtiliter quidem, ut in more erat, sed aliquas subinde miscuit observationes practicas magni momenti. Si sanguis suppressus fomitem morbo dedit, aut aetas, anni tempus, & specialis aegrotantis dispositio ad haemorragiam, foveant vertiginem, ea superveniente, sanandam spes est; "quod si ab intemperie, „& cacochimia quadam maligna firmiter (in cerebro) qua„ is esse solet tinctura lanarum veneno Assirio fucatarum, pro„veniat, tunc non solvitur haemorragia, etenim parum pro„dest haec, etsi plethoricarum affectionum propria, si rerum „illarum accessionem conjunctam habuerit (c)."

III.

An vertigo certissimum praesagium Apoplexiae? (d).

Vi-

(a) Aet. *Tetrabibl.* 2. *Serm.* 2. *cap.* 7. *pag.* 272.

(b) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 13. *pag.* 201.

(c) Duret. *in Comment. ad sent. proxim. citat. pag.* 202.

(d) Gorter. *Medic. Dogmat. de Vertig. cap.* 2. *pag.* 102.

Vidimus ex Hippocrate vertiginosos apoplecticos fieri (a); sed cum ex observatione fideli constet, saepè vertiginem in hystericis, hypocondriacis, stomacho laborantibus fieri sine superveniente apoplexia, merito Gorterus, alios in hoc sequens, dubitanter ea de re loquitur. Vidi morbo siccatorio flatulento laborantes vertigine continuo afflictos, ab eaque liberatos tum vomitibus pituitae, cum flatuum per os eruptione, ructus strepitu magno diu continuatos alternis vicibus emittendo. Ergo tunc vertigo prodromus est apoplexiae, cum, temperie cerebri vitiata, aut ob malignam aëris constitutionem, venenorum vim, morbosas in habitu affectiones, vel intimam spirituum substantiam summe corruptam, aut extinctioni proximam, sequitur. "Imperitiae indicium est (inquit Junckerus) "quibuslibet vertiginosis, sine discrimine aetatis, "apoplexiae insequuturae prognosim formare: junioribus enim "triginta annos nondum egressis à periculosa quoque verti-"ginis specie nulla imminet apoplexia, nisi vita simul nimis "sedentaria, aut ingentes animi commotiones accedant (b)." Sed notandum, juvenibus vertiginosis ex cerebri vitio non rarò epilepsiam, aliasve convulsionum formas succedere.

IV.

In quibusdam ingestis, vel applicatis quoddam specificum latet virus, quo magis vertiginem quam alios morbos inducunt. Ita opium in quibusdam si non decumbunt: cantharides: Mercurialia: Therebintina, & multa ex diureticis: spiritus inebriantes: putrida assumpta: fumus carbonum: nicotiana: multaque venena. Horum praeposterus usus hunc effectum docuit: & quia non ab omnibus malignis generatur vertigo, specificum virus in his est admittendum (c).

Praeclara observatio ab omnibus magni aestimanda. Igitur qui solanum maniacum, hyosciamum, aconitum, aliaque hujusmodi venena in usum Medicum adducere audent, hinc discant, nihil aliud efficere, quàm experimenta per mortes agere.

V.

(a) *Vide supr. cap. 4. aphor. 6.*

(b) Juncker. *Conspect. Medic. tabul. 27. pag. 235.*

(c) Gorter. *Med. Dogmat. de Vertig. cap. 2. num. 24. pag. 83.*

At quos capitis calor, auriumque sonitus malè habet, vaporibus calidioribus per arterias sursum elatis, etiam arteriae sectio retro aures iis abbibenda est (a).

Arteriae sectionem pone aures nedum à Paulo propositam longeque descriptam, sed à Galeno, aliisque gravissimis Scriptoribus pro vertigine, oculorumque fluxionibus sanandis commendatam, timerem utique, tum ob Celsi monitum asserentis arteriam incissam neque coire, neque sanescere (b), cum ob inexpertam Chirurgorum nostri temporis exercitationem. Freindius invictis argumentis probans utilitatem & securitatem incissionis arteriarum in dictis morbis, tum demum concludit: "Quamvis operatio haec rationi congruat, vereor „ut unquam veniat in usum, quia suasor ejus periclitatur, „ne per aliorum incuriam famae suae officiat. (c)." Hirudinum applicationem ponè aures in vertigine, aliisque capitis morbis cum calore conjunctis, magni usus esse observavi.

VI.

His verò qui valdè calidum caput habent, etiam rosaceum cum aceto saepè adhibeas, & ipsum ex salientibus aquae in balneo frigefacias. Et si quidem ex his cesserit affectio, cessandum est à medicationis molestia (d).

Frigidas capitis perfusiones in vertiginosis esse utiles ex Araeteo didici primùm (e), postea propria experientia confirmavi.

VII.

Quodnam medicamemtum est specificum? (f).

Nullum planè esse in hoc morbo statuit Gorterus, qui dubitanter interrogat. Sed cum vi speciali prodesse dicantur cinnabaris antimonii: remedia ex verme sericum faciente pa-

 ra-

(a) Paul. Aegin. *lib.* 3. *cap.* 12. *pag.* 96.

(b) Cels. *de Medic. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 81.

(c) Freind. *Histor. Medic. ann.* 640. *pag.* 185.

(d) Act. *Tetrabibl.* 2. *serm.* 2. *c.* 7. *pag.* 273.

(e) Aret. *de Curation. Morbor. diutur. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 120.

(f) Gorter. *Medic. Dogmat. de Vertig. cap.* 2. *num.* 22. *pag.* 107.

rata, ut apud Nicolaum Pisonem Auctorem gravissimum (a): & ex ipso serico, ut de guttis anglicanis fertur, fatemur ingenuè nos longo usu, attentaque observatione agnovisse nullum ex his pro specifico habendum esse, cum vertigines, etsi ea praescripserimus, minimè fugaverint. Audiendi hic sunt Uratislavienses Medici, experientia vires medicamentorum constituentes. "Carminativa aromatica (inquiunt), si sollicita instituatur observatio, non parum nocent. Idem ferè dicendum de spiritibus apoplecticis ex vegetabilibus cephalicis & nervinis, ut moris est, paratis. Nec melius se gerunt martialia, & inutilia magisteria perlarum, corallorum, ac inanes fecularum foeces. Nec aliquid peculiare prae reliquis obtinet specificum Michaelis, ungula alcis.... Maxima autem inter usitatiora in cinnabari nativa, quamvis nec ab illa miracula sint expectanda. Nullius pretii est spiritus vitrioli cephalicus prout vulgò paratur (b)."

CAPUT VIII.

DE CONVULSIONE.

QUod à Graecis *spasmus*, à Latinis communiter *convulsio*, Caelio Aureliano *conductio*, Celso *nervorum distentio* appellatur. Convulsio est: *invita partium musculosarum & nervosarum versus suam originem retractio.* Si musculus injussus, vi morbi motum exerceat, quem sanitatis tempore, unicè imperante voluntate, agit, tunc convulsione afficitur. Dum partes nervosae ex affectione morbosa retrahuntur motu ipsis integra valetudine alieno, etsi vera convulsione laborent, *motus convulsivos* perpeti dicuntur. Hinc convulsio & motus convulsivus una & eadem est affectio; differunt tantùm ratione partis laborantis, utpote musculis patientibus motui voluntario destinatis, convulsionis nomen retinet: aliis autem particulis offensis & retractis, motuum convulsivorum

(a) Nicol. Pis. *de Morb. cognoscend. & curand. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 62.

(b) *Histor. Morbor. Vratislav. ann.* 1701. *pag.* 230.

rum denominatione distinguitur (a). Cum verò nervosae partes & musculosae nedum externum repleant corporis habitum, sed per interiora dispersae sint, patet inde convulsiones modo externas, non raro internas sedes occupare. Differentias accipit convulsio à partibus affectis, nam quae fit in musculis caput & collum inclinantibus *emprosthotonos* dicitur, dum scilicet versus anteriorem partem corpus flectitur: si musculi caput erigentes convellantur *Opisthotonos*, cum in posteriorem retrahitur: si verò tabulae ritu erectus homo maneat, ut aequa vi musculi anteriores & posteriores convulsione tententur, *tetanos* à Graecis dicitur, Celso *rigor*. Si convulsio oculos occupet *strabismus*, si mandibulas *trismus*, si os *spasmus cinicus apellatur*; reliquarum partium convulsiones nomine carent. Sed cum convulsioni quadrent differentiae caeteris morbis communes in Pathologia satis explicatae, ea hic maximè notanda, quae sumitur ab affectione propria cerebri & spinalis medullae: aut ventriculi, uteri, pulmonum, aliarumve partium, mutuo consensu nervos, eorumque radices corrumpentium. Igitur ex utero, intestinis, ventriculo ejusque orificio superiore, pulmonibus male affectis, convulsiones fieri interdum enormissimas, ductu in consensum cerebro aut spinali medulla, omnibus notum est, ut antea vidimus. Sed id maximè advertendum, in convulsionibus modò ipsam partem laborantem eorumque nervos contrahi ex earum affectione morbosa, modò patiente cerebro aut spinali medulla musculis per nervos vitium communicari. Igitur in convulsionibus ex vulnere, contusione, punctura, aliisque malis partium contingit, ut ipsae proprio damno convellantur, fortèque ex his cerebro malum communicetur. At in phrenitide, melancholia, pluribusque cerebri affectionibus, ex ejus laesione inferiores partes ferè omnes convulsionibus tentantur. Convulsio symptoma est, actio scilicet depravata facultatis animalis non principis loco-motivae. Morbus hujus symptomatis generator est saepè intemperies, tàm quae in qualitate & quantitate, quàm quae in substantia consistit (Pathol. *9.* & 10.); non raro ex unitate soluta, quandoque organi vitio

(d) *Vide Patholog. nostr. tract. 3. Prop. XII. num.* 61.

oritur. Hac ratione per intemperiem qualitatis fiunt convulsiones ex immodico frigore, siccitate, humiditate, calore: fiunt etiam ex nimia sanguinis aliorumque humorum quantitate temperiem corrumpente. Sed à vitiato temperamento quoad substantiam fiunt convulsiones ex helleboro, mercurio, antimonio, aut improvidè assumptis, aut malè praeparatis: itemque ex variis venenis, seu extrinsecus advenientibus ut morsu tarantulae, ictu scorpionis, seu intus genitis ut fit in malignis bilis circa os ventriculi collectionibus, aliisque id genus malis. Inversa partium figura, vitiataque earum superficies, & connexus non raro convulsionis sunt causa, ut Chrirurgi experiuntur.

Causae occasionales convulsionum omnium verè ab Hippocrate reducuntur ad repletionem, & inanitionem (a). Sub repletione intelliguntur plethora & obstructio, quae hanc affectionem non perpetuo, sed tunc tantum producunt, cum nervos & musculos ita replent, ut nequeant naturae viribus gubernari (b); ita enim fit, ut eadem exurgens ad pondus sibi molestum expellendum, neque potens modo naturali id efficere, motus applicet, etsi morbosos, ad eum finem assequendum. Hinc variolarum eruptionem, mensium purgationem, sanguinis haemorragias, convulsiones saepe praecedere solent. Ii etiam quibus viscera obstructionibus, musculi cruditatibus, nervi humoribus impedientibus spirituum motum repleta sunt, nullo negotio in convulsiones incidunt. Est etiam convulsio particularis à flatibus orta, quam lingua vernacula *calambre* appellant, cito accedens citoque desinens, suras & tibias potissimum occupans, quae vino & crapulae, aut socordiae & dissidiae deditis frequens esse consuevit. At convulsio, quae immodicas sequitur sanguinis aliorumve humorum excretiones, aut norvorum irritationes ad inanitionem refertur. Sic quae à febre ardente, maligna, cholera, hellebori aut alterius medicamenti, seu veneni potione, immodicis vigiliis, inediis, laboribus, vulneribus, puncturis, aliisque id genus affectionibus nascitur, inanitionis est effec-

(a) Hippocr. *l. 6. Aph. sent.* 36. *Vernac. cap.* 6. §. 3. *pag.* 177.
(b) *Vide Tract. nostr. de Febr. ling.*

effectus. Ad hanc classem refertur etiam diathesis, sunt enim plurima seu extrinsecus advenientia, seu interius nata, quae certa & ineffabili diathesi nervos in convulsionem deducunt Certis annorum constitutionibus occulta aëris vi febricitantes insperatò in convulsiones incidunt periculosissimas (a). Eadem ratione bilis porracea certo modo corrupta, maligna materies in ulceribus collecta, putredines, acrimoniae speciales ut hysterica, scorbutica, melancholica, & aliae hujusmodi convulsionibus producendi sunt aptissimae. Quaecumque demum fuerit causa convulsionis, ut ego existimo, perpetuò fit in ea retractionis motus per fugam quandam, dum nervi, seu ut verius loquamur, spiritus vivifici in partibus existentes atque etiam nervos continuò replentes sese colligunt, à re molesta se abducentes, motusque convulsivos ad eam expellendam excitantes: ita enim comparati sumus, ut natura legibus conservationis obediens, spiritus colligat, seseque à rebus nocentibus abducens, quantum sibi ejusque viribus datur, adversus eas pugnando decertet, motibusque ordinatis si sana sit, & inordinatis, vi morborum coacta, expellere nitatur; quod ab Avicenna video sapienter adnotatum (b). Causae efficientes sunt aër, tum qualitatibus manifestis, cum occulta vi partes dispositas contrahere faciens. Igitur nimium aëris frigus, incessus per loca nivosa, balnea extremè frigida, matutinae & vespertinae infrigidationes in debilibus, convulsiones excitare solent; frigidum enim cum inimicum sit ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullae, facilè convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles improvidè susceptum creat (c). Sed aër tum maximas convulsiones inducit, cum oculta vi, certis annorum constitutionibus, nervis est infensissimus, quod ex Hippocratis Epidemiis abunde patet, propriaque observatione non semel nobis innotuit. Diaeta ex cibis veneno proximis ut fungis, mytulis, carnibus, piscibus corruptis, vino non adhuc probè fermentato, aut magna satis copia assumpto, spirituosis potibus,

(a) Vide Hoffm. *de Morb. spasmodic. cap.* 3. §. 7. *pag.* 35.

(b) Avicen. *lib.* 3. *fen.* 2. *cap.* 5. *pag.* 215.

(c) Hippocr. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 17. & 18.

bus, aliisque id genus alimentis crudis, acribus, nervisque adversis, mirùm quàm facilè convulsiones generet. Huc referuntur medicamenta narcotica, opium, mandragora, solanum maniacum, hyosciamus, aconitum: acria, ut helleborus, atque ex mercurio, & antimonio quaedam praeparata: etenim haec omnia ad creandas convulsiones sunt paratissima. Sed calor immodicis exercitiis, aut cibis potibusque excitatus, tum ex se, cum febres ardentes generando, maximas convulsiones inducit. Etsi animi pathemata fere omnia, si vehementia sint, convulsiones facillimè excitent, ea tamen majori & promptiori vi id efficiunt, quae naturae lege spiritus ad sese mutuò colligunt. Propterea qui diutius timore, maestitudine, anxietatibus, doloribus, implacida displicentia vexantur, seu animi seu corporis vitio fiant, in convulsiones incidere nullo negotio consueverunt.

Quod historiam convulsionis attinet, scire licet, quaedam esse phoenomena cuilibet speciei propria, quaedam omnibus communia. Sed inter ea quae homines convulsioni pronos efficiunt annumeranda est ataxia: nervorum debilitas: cachexia scorbutica, hysterica, melancholica: exanthemata suppressa, aut more solito non prodeuntia: laborum omissio, aut plus-quam par est exercitatio: aetas puerilis, praesertim tempore dentitionis: abortus: anni tempus, potissimum hyems, quae hujus mali omnium maximè feracissima est, deinde ver & autumnus: pavores repentè advenientes, timores, animi consternatio & maeror: raro insperatum & ingens gaudium, atque risus implacabilis: cervicis ictus: frigus asperrimum: vulnus: epidemica constitutio: nimia corporis repletio, aut inanitio: sanguinis immodicae excretiones: vigilia contumax: inedia. Cum vero tot, tamque diversi sint convulsionum prodromi, utique sciendum est, saepè hunc mordum febricitantibus subitò sine ullis praecurrentibus signis accidere, factoque bilis vomitu protinus conquiescere. Omni autem convulsioni jam praesenti commune est membra contrahere, atque musculos nervosque versus eorum originem adducere, ut visu, aut tactu id comprehendi possit, ita tamen ut una tantùm pars quandoque, plures simul interdum distendantur, ut fit in motibus convulsivis. Observandum tamen est, ne unius particulae contractio articulo-

rum

rum vitio fiat, in his enim saepè callus gignitur, vel delapsus humor intra cavitatem prohibet liberam in juncturis motionem, quod vitii genus longè abest à convulsione. Interea omnes convulsionibus tentatos subito atque affatim corripit labor, & distentio tendonum adest, quam alternè repetentem in carpis manuum inter tangendum pulsum perceptum Medici non ineptè *subsultus tendinum* vocant. Facies rubet, interdum versicolor: oculi fermè rigentes, qui vix circumvolvantur: respiratio ut plurimum vitiosa: buccae & labia tremunt, maxillae quatiuntur, dentes strident: difficilis cervicis motus: oscitatio frequens cum labore, saepè cum temporum dolore, & fluore salivae: linguae impotentia, nec prompta atque facilis loquutio: pulsus durus, tensus, ut arteria veluti chorda quae laxatur & stringitur, sursum deorsumque feratur. Quod si dolor aliquis tunc torqueat, sanè is acerbissimus esse consuevit. Sed tetano correpti sub recto situ colla ita distenta habent ut inflexibilia fiant, totumque corpus tabulae ritu erectum contentum ita est, ut neutram in partem flecti possit, atque recta etiam sunt crura, & manus. In emprosthotono collum in anteriorem partem inflexum mentum pectori configit, interimque ilia atque praecordia cum frequenti urinae irritatione, & difficili flexu digitorum tenduntur. In opisthotono retractio ad posteriores partes fit cum nimia dorsi tensione & dolore. Distenduntur etiam crura & manus, neque possunt aegrotantes sese continere, quin potius quadam mobilitate resiliunt. Sub hoc statu, caput reflexum videtur inter scapulas locari: guttur extat: maxilla inferior plerumque dehiscit, & raro cum superiore committitur: inter respirandum stertor: venter & pectus prominent: abdomen intentum est, & percussum resonat. Crescente morbo, praeter haec omnia, ita membra laesa distenduntur, ut ea dirigere velle, viventem sanè hominem distrahere sit, & discerpere. Sudor manat plurimus: dentium adest confixio: articulorum frigus: pulsus obscurus: infusi liquoris in os reflexus per nares. Accedit respiratio difficilis: vigiliae: in quibusdam deliria: aliis dolores: singultus: jactatio: injucundus aspectus: hisque omnibus ad summum vigorem adductis, subitanea ferè mors. Quod si magnis laboribus vexatis febris accedat, distentio inde laxetur, respira-

tio

tio libera, pulsus molliores, somnus denique superveniat, spes salutis affulgere potest, quam in hoc morbo non facilè promittere licet, quia periodis revertitur, falsasque dare inducias solet. Omnis convulsio est discrimine plena, citoque ut peracuti morbi cursum suum peragit, vixque alia est aegritudo, quae auxilia magis respuat, ut neque Medicus praesens atque adspiciens ad vitam aut doloris levamen quidquam opis adferre possit, quin potius victis à morbo nihil ultra subveniens, contristatur dumtaxat, quod Medicorum est magna infoelicitas.

Jam verò ad curandas convulsiones intento animo inspiciendum num repletio an inanitio eas foveat. Posita repletione videndum, num à plethora, aut obstructione fiat, aut utraque. Si plethora fomitem morbo dederit, inquirendum num inflammatio nervorum originem, aut ipsam partem convulsam infestet, nam diversa curatio pro harum causarum diversitate est instituenda. Quaecumque demum fuerit convulsionis origo non cunctanter, sed citò natura est auxilianda, quod in repletione optimè fit per venae sectionem, qua sanguinis quantitas educenda juxta morbi vehementiam, aetatem, sexum, anni tempus, viriumque tolerantiam. Neque una vice multum sanguinis extrahendum, cum affectio haec ad syncopem nullo negotio transeat. Purgatio omnino vitanda, omnia enim cathartica, quantumvis lenia, virulentiam possident nervis inimicam, & convulsionibus generandis aptissimam. Interea sordes primae regionis eluendae, quod clysteribus, & lotionibus ex herbis emollientibus, carminantibus quibusdam immixtis, fieri potest. Quod si magis laxare ventrem oporteat, oleo amygdalarum dulcium sine igne parato, semel aut repetitis vicibus pro re nata interius assumpto, ventris emollitio succedet. Imo si ad vehementiora transire necessitas postulet, oleum seminis lini recenter extractum ex usu esse debet, cum non modo alvo solvendae, sed & convulsionibus sedandis mirificè prosit. Balneum ex aqua frigida in tetano sine ulcere, media aestate, in juvene benè carnoso, commodum monuit Hippocrates (a), sed temperate calidum omni nervorum distentioni pro-

(a) Hippoc. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 21.

prodesse ex ipso didicimus (a). Ergo nulla interposita mora, post venae sectiones aeger in balneo collocandus, quod si ex aqua simplici impotens sit, ex hydrelaeo constituendum. Medicamenta in officinis pharmaceuticis ad convulsiones tollendas extantia, & spetioso *antispasmodicorum* nomine ornata nugae sunt, atque adeò pulvis marchionis, de gutteta, aliaque id genus, nullum hic praestare effectum experti asseveramus (b). Jusculum cui incocta sint borrago, intybus, addito pauxillo betonicae est propinandum quaternis horis, quoniam vires in hoc morbo multum celerrimèque prosternuntur. Lac asininum aqua simplici mixtum, nisi febris, aut praegressa nimia sanguinis excretio dissuadeat, sub morbi initia optimum est medicamentum; quarto autem die transacto, roborantibus ex castoreo, viperis, betonica, aliisque hujusmodi aeger est reficiendus, atque relicto, tunc lactis usu, aqua frigida confertim exhibita, post roborantia, magni usus esse consuevit. Externa medicamina hic, si uspiam alias, locum habent. Igitur totius spinae frictiones, pedum lotiones, partis convulsae inunctiones ex oleo rosaceo, unguento altheae immixto, fotus ex lacte cum croco, incipiente morbo, utiles sunt; at ipso progrediente, viresque ulterius labefactante, emplastra ex galbano, additis castoreo, aliisque roborantibus, ex usu esse observatione novimus. Apud veteres magna fuit in his applicandis medicamentis solertia: sed quibus nova tantùm placent, in promptu est observatio apud Medicos Edimburgenses de puero convulsione abdominis, indeque totius corporis retractione correpto, per emplastrum ex diachilone cum gummatibus, assa-foetida, therebintina, aliisque validissimis roborantibus & calefacientibus, adjecto extracto papaveris albi, citò sanato (c). Ego non semel hystericas convulsiones, galbano, balsamo Mariae ori ventriculi aut umbilico sub emplastri forma applicato, sanatas vidi. Sed dolosa mercatorum & aromatariorum versuties, aurique sacra fames non modo vero Mariae balsamo, sed & quamplurimis medicamentis

(a) Hippo. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 22.
(b) *Vide Patholog. nostr. tract.* 1. *Prop. VI. num.* 30. *pag.* 443.

(c) *Essais & observat. de Medecine de la Societè d' Edimbourg, tom. VI. articl. LXI. pag.* 214.

tis simplicibus legitimis jam diu nos privavit, ipsisque, impunè licet, selectiora à natura in bonum hominum producta vitiosissimis artibus adulterare. Magnum Gallis beneficium praestitit Pometus, qui medicamentorum pessimas adulterationes patefecit, in eligendis optimis versatissimus. Hunc laborem Hispani Medici, scientia & rerum naturalium cognitione praeclari, praeteritis temporibus assumpsere, qui tamen hodie perpetua oblivione consumpti jacent, ea enim est nostrorum infelicitas in litteris excolendis, ut non nisi extranea laudentur, nullusque est de trivio Scriptor alienus, nugis etsi inanibus repletus, quem inter nostrates aliqui avide non exceperint, & in linguam vernaculam quamquam saepius ineptè, non transtulerint.

APHORISMI.

I.

Helleborus periculosus est sanas carnes habentibus, convulsionem enim procreat (a).

II.

Convulsio ex helleboro lethalis (b).

III.

Purgationi immodicae convulsio, aut singultus superveniens malum (c).

His aliisque pluribus locis docemur, quàm caute in exhibendis catharticis procedendum, cum nedum helleborus, sed & acria quaecumque purgantia ut jalapa, scamonium, gummi guttae, & quamplures ex mercurio ac stibio praeparationes in hominum perniciem inventae, convulsiones mortiferas facillimè generent.

IV.

(a) Hipp. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 16.
(b) Hippocr. *l.* 5. *Aphor. sent.* 1.
(c) Hippocr. *l.* 5. *Aphor. sent.* 4.

IV.

Melius est febrem convulsioni supervenire, quàm convulsionem febri (a).

V.

Qui nervorum distentione tenetur, febre superveniente liberatur (b).

Nec perpetuum est convulsionem accedente febre tolli, neque convulsionem febri supervenientem esse perniciosam. Ergo si homini sano repentè convulsio adveniat, quam à repletione tum fieri meritò statuit Galenus (c), de novo accensa febris magno auxilio esse potest, dummodo maligna aut ardens non fuerit. Vidi foeminam Opisthotono ex hystericis affectionibus laborantem, superveniente miti febre liberatam. Si convulsiones febri superveniant ob crisim, aut metasthasim ex internis ad exteriora, seu ex visceribus ad partes externas, salutares esse possunt, ut fit in excretione variolarum benignarum, & quibusdam acutis morbis instante crisi. Sagax Medicus ex attenta observatione ad statum morbi, vim motusque naturae & symptomata convulsiones comitantia, salubres sint, an noxiae, intelligere poterit (d).

IV.

Tremores qui in febribus ardentibus fiunt, delirio solvuntur. (e).

Monet hic Galenus nedum de ardentibus, sed de quibusvis febribus intelligendam esse sententiam, atque solutionem per delirium non morbi terminationem, sed uni pasioni alteram supervenire aequè periculosam, ex impropria loquutione significare. Igitur si in febribus, inter tangendum pulsum convulsiones musculorum manus & digitos moventium, quas Medici *subsultus tendinum* appellare solent, percipiantur, delirium certò venturum intelligimus.

VII.

Quamquam universum corpus à convulsione immune sit, si

(a) Hippo. *l.* 2. *Aphor. sent.* 26.
(b) Hippo. *l.* 4. *Aphor. sent.* 57.
(c) Galen. *Comm.* 4. *in l. Aphor. Hipp. sent.* 57.
(d) *Vide Tract. nost. de Febr. ling. vernacula cap.* 6. §. 3. *pag.* 174.
(e) Hippo.. *l.* 6. *Aphor. sent.* 26.

labrum aut palpebra, aut lingua distendatur grave symptoma existimandum est, quod maxima invehat pericula, licet exiguae partes affectae videantur (a).

Musculorum oris, oculorum, linguae, & quarumvis partium etsi minimarum retractio numquam spernenda, cum epilepsiae, apoplexiae, aliorumque saevissimorum morborum prodromus esse soleat, affectoque uno nervo facillimè totum nervosum genus afficiatur.

VIII.

Pueris convulsiones fiunt si febris acuta fuerit, & venter non excernat, & vigilent, & perterreantur, & lugeant & colorem mutent, & chlorus, vel lividus, vel rubicundus emergat, &c. (b).

Pueri usque ad septimum annum convulsionibus sunt maxime proclives, quae non ex uno aut altero ex propositis in hac sententia, sed ex omnibus signis sunt praedicendae. Venae sectio puerulis noxia esse solet: vomitorium lene mirifice convulsiones eorum praecavet, ut in Illustratione ad hunc locum exposuimus.

IX.

Qui tetano corripiuntur in quatuor diebus pereunt; si verò hos effugerint, sani fiunt (c).

Ante diem quartum tetano correpti non liberantur, imò & in discrimine versantur maximo; at quarto die superato nec salus statim apparet, etsi de ea spes aliqua affulgere incipiat: "nec perpetuò verum est (inquit Tozzius) quod post quartum diem mortis periculum effugiant, cum aliquando observatum sit etiam in septimo, atque etiam post septimum illos esse periclitatos (d)." Lectu digna est ad hanc rem tetani historia specialis à Vanswietenio observata, & accuratè descripta (e).

X.

Convulsio ex vulnere lethalis (f)

Ad-

(a) Paul. AEginet. *l.* 3. *cap.* 19. *pag.* 106.

(b) Hipp. *Prognost. sect.* 3. *text.* 34.

(c) Hippo. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 6.

(d) Tozz. *Comment. in lib.* 5. *Aphor. Hipp. sent.* 6. *pag.* 29.

(e) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 712. *to.* 2. *pag.* 325.

(f) Hippocr. *l.* 5. *Aphor. sent.* 2.

Adnotavit Galenus, fidissimus Hippocratis interpres, in hac atque aliis supra positis de convulsione sententiis, non ex necessitate mortem indicari, sed summum periculum, ut pauci ex ea evadant, & ut plurimum letho comitantur. Igitur ex vulneribus convulsiones fiunt (idem intellige de ulceribus) ob virulentam acrimoniam nervos instar veneni stimulantem: ex inflammatione in iis excitatam, saepèque ad nervorum originem extensam: aut ex Chirurgorum imperitia. Hanc ultimam causam convulsionis ex vulnere observatione propria confirmant Tozzius, & Gorterus (a).

XI.

Quibus tumores in ulceribus apparent non valdè convelluntur, neque insaniunt. His autem de repente disparentibus, quibus in postica quidem parte fuerint, convulsiones, tetani; quibus in antica insaniae, aut lateris dolores acuti aut suppuratio, aut dysenteria, si rubicundi fuerint tumores (b).

Haec sententia aequè de vulneribus ac ulceribus intelligenda mirabiles monstrat morborum mutationes nulla artis Theoria definiendas. "Propterea (inquit Gorterus) experimen„ta practica sunt consulenda, quid natura facere soleat in „tali regressu materiae, nam hoc ex legibus hydraulicis de„monstrare non valeo (c)." In magnis vulneribus tumores non apparere, malum esse Hippocrates pronuntiavit (d); ipsos autem in quibusvis ulceribus praesto esse, ad convulsionem & insaniam vitandam ut plurimum valere, hic docuit. In variolis certissimum est, magnam faciei & manuum intumescentiam saepe prodesse. Sed *non valdè* convelli aut insanire dixit eos, quorum vulnera intumescunt, cum quandoque ob laesum nervum vel tendinem, praesente magna intumescentia, convulsio & insania sequantur (e). Neque perpetuum est, ex disparente tumore in parte antica insaniam, ex postica convulsionem nasci, cum interdum haec aliter fieri soleant, ut

(a) *In Comm. praesent. sent.*

(b) Hippocr. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 65.

(c) Gort. *Comm. in Aphor. Hipp. lib.* 5. *sent.* 65. *n.* 3. *pag.* 375.

(d) Hippocr. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 66.

(e) Vide Gorter. *loc. cit. num.* 2.

ut ex duobus ab Heurnio, gravissimo Scriptore, adductis historiis vulneratorum patet (a). Posuit Hippocrates tamquam certa, quae communi & frequenti naturae cursu contingunt, atque adeo communi etiam observatione innotescunt; ; exceptiones paucissimas observatorum diligentiae examinandas reliquit. Hinc si subito disparente tumore in vulneratis sudor copiosus, aut urina, aut erisipelas in alio membro appareat, non insania nec convulsio, sed interdum salus sequi solet (b). "Non modo haec (inquit Tozzius) quae retulit in aphoris-»mo Hippocrates mala ab evanescentibus repentè tumoribus »exoriuntur, sed & surditates, lippitudines, asthmata, car-»dialgiae, dysuriae, idque genus alia, quae fortasse reliquit, »contentus generaliora solummodo attulisse, quae fortasse »frequentius observaverat (c)."

XII.

Convulsio fit aut à repletione, aut ab inanitione, sicut singultus (d).

Quemadmodum morbos à repletione natos sanat evacuatio, sic repletio necessaria est ad inanitionem removendam. Imprudenter agunt Medici, qui in omni convulsione, calida sub *cephalicorum* titulo applicant medicamenta vigente inanitione nocentissima. "Decantatissima illa antispasmodica »(inquit Vanswietenius) spiritus cornu cervi, serici crudi, suc-»cini tinctura & oleum; castorei vinus, olea pulcherrima stil-»latitia aromatica, &c. quae in aliis casibus tàm pulchrè com-»pescunt inordinatos illos in systemate nervoso motus, hic »nocent suo stimulo, quo agendo sanguinis motum, pau-»culum illud, quod in vasis adhuc superest, sanguinis, ex »discissis vasis expellunt ad mortem usque (e)."

XIII.

In curatione primò pervestiganda est causa singularis, & lo-

(a) Heurn. *Comm. in l. 5. Aphor. Hipp. sent.* 65. *pag.* 455.

(b) Vide Heu. & Tozz. *ad hunc Aphorismum.*

(c) Tozz. *Comm. in li. 5. Aphor. Hipp. sent.* 65. *pag.* 113.

(d) Hippo. *l.* 6. *Aphor. sent.* 39.

(e) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 234. *tom.* 1. *pa.* 345.

locus primariò affectus unde convulsio ortum habet, dein ocius medicamenta aplicanda illa quibus acre leniri, impactum resolvi, contractum laxari possit. Unde diluere, laxare, revellere, lenire, fere sanare solent convulsiones hasce; nec unquam specioso autispasticorum titulo fides adhiberi debet (a).

Ab hac universali curatione excipit Vanswietenius convulsiones eas, quae à subita & magna vasorum depletione fiunt, & solis replentibus curantur. Certe non video, quomodo pro regula generali ad convulsiones tollendas impactum resolvere conveniat, cum à dissolutis nimium humoribus, & agitatis spiritibus eae saepe nascantur.

XIV.

Sudores qui sensim exsudant (in convulsione) *prosunt: confertim autem prorupti nocent, & larga detractio sanguinis* (b).

Ex hac verissima sententia docemur, convulsis neque sudores calidis medicamentis excitandos, nec largam venae sectionem prodesse, quod utique monendum duximus, cum nostro hoc tempore in vena secanda audacterque educendo sanguine, ob systematum in medicina praepotentiam, audacissimos Medicos videamus.

XV.

Hinc (dum aegri tremuli convelluntur) *somni arctiores sunt convulsifici, gravitasque frontis, & mictio ipsa difficilis* (c).

Pulcherrima sententia plures continens observationes breviter percurrendas. Convulsio ita saepe similis est tremori, ut cum eo confundi possit. Sed facile distinguuntur, quia in tremore gravitas membri deorsum, vis motrix sursum illud ducit: ex alterna autem vi ponderis membri, & facultatis moventis fit tremor, in senibus, debilibus, ataxia spirituum laborantibus, innocuus. At motus convulsivus perpetuò fit vi mor-

---

(b) Boerhaav. *Aphor. de Cognosc. & curand. morb.* §. 713.

(b) Hippoc. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 14. *sent.* 14. *pag.* 216.

(c) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 14. *sent.* 2. *pag.* 207

morbi alternè naturam irritantis, indeque etiam fit, ut membrum sustentatum non tremat, etsi sub eo positu convellatur. Somni in motibus convulsivis phreniticorum sunt morbosi ad comatis naturam accedentes, ut antea vidimus. Sed minimè terreri oportet eos, qui integra valetudine dum dormitare incipiunt, subito veluti convulsi expergefacti excitantur, id enim vaporosae substantiae nervos agitantis effectus est, quae facilè dissipata nihil damni inducit. "Adultis saepè contingit (ait Vanswietenius) ut in primo somni quasi limine, toto corpore convulsi evigilent cum imaginatione ac si ex alto ruerent praecipites, vel alia simili terrifica idea in mente excitata (a)." Excitatio à somno cum terrificis imaginationibus in sanis saepè contingens capitis morborum nuntius tantum est, dum nimis durat in corpore pravè disposito. Sed in phreniticis, hystericis, hypocondriacis, ac alias quovis modo in convulsiones pronis, mictio difficilis fieri solet ob distensionem vesicae; imò ex ejus interceptione convulsionem praedici posse ex Hippocrate ita monente discimus: *Vesica intercepta cum capitis dolore convulsionem minatur.* (b)

XVI.

Diuturni circa lumbos & ilia tum qui ad hypocondria prorepunt dolores cum febre, & cibi fastidio, si inde transierit fortis dolor ad caput, celeriter per convulsionem necat (c).

Non modo diuturni, sed & in acutis febribus lumborum dolores metastasim ad septum transversum faciunt summo aegri periculo, ut Hippocrates monet in Prognostico (d), tum maximè cum aegri impatientes Medicos aut Chirurgos provocant, ut unguenta frigida pro dolore sedando lumbis apponant, quo fit, ut in alias partes malum transeat: quod si transitum faciat ad caput, convulsio celeriter necans supervenit. Cauti ergo sint Tirones in lumborum doloribus tractandis, eosque nec opiatis, nec frigidis medicamentis fuga-

(a) Vanswieten. *Comm. in Aphorism. Boerhaav.* §. 711. *tom.* 2. *p.* 320.

(b) Hipp. *Praedict.* 1. *text.* 120.

(c) Hippocrat. *Coac. Duret. li.* 2. *cap.* 12. *sent.* 13. *pag.* 183.

(d) Hippocr. *Prognost. sect.* 2. *text.* 75.

gare audeant, quin potius pedum lotionibus, frictionibus. clysteribus, oleosis, blandè alvum subducentibus, aliisque hujusmodi auxiliis aegris succurrant.

XVII.

Per febres quosdam conspeximus de repente convulsione praehendi, nullo, quod eam praesagiret, praecedente indicio, qui bilioso superveniente vomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt (a).

Ex his quae de vertigine, aliisque capitis affectionibus ab oris ventriculi laesione nascentibus, diximus, quid hic agendum sit, facilè quisque perspiciet.

CAPUT IX.

DE EPILEPSIA.

EPilepsia Grecis, Latinis *morbus comitialis*, variis nominibus insignitur, quippè *morbus sacer*, *herculeus*, *lunaticus*, *caducus*, *puerilis* à quibusdam appellatur, quorum nominum rationem apud Sennertum videre licet (b). Epilepsia est: *totius corporis, sed praesertim partium faciei, motus convulsivus cum sensuum mentisque laesione.* In choraea quam nunc vocant sancti Viti: in motibus convulsivis omnium membrorum vagis & inordinatis: & in passionibus hystericis atque hypochondriacis, verae convulsiones fiunt, non tamen epilepsiam constituunt, nisi sensuum & mentis laesio accesserit; ea enim affectio apud vetustissimos Medicos epilepsia dicebatur, quae & convulsivos corporis motus, & mentis sensuumque offensiones necessario importat (c). Invaluit tamen usus, ut epilepsia alia perfecta, alia imperfecta dicatur. Perfectam eam vocant, quam definitione data comprehendimus: imperfectam, dum membrum aliquod distenditur, ita ut frequenter mentis sensuumque laesio sequatur, aut saltem in

M ve-

(a) Galen. *l.* 5. *de Loc. affect. cap.* 6.

(b) Sennert. *Pract. li.* 1. *part.* 2. *cap.* 31. *pag.* 154.

(c) Vide Galen. *lib.* 3. *de Loc. affect. cap.* 7.

veram epilepsiam degeneret. Hanc levem etiam, illam fortem epilepsiam appellant, atque adeò motus convulsivos memoratos ad epilepticam referunt affectionem (a). Sunt qui Galenum sequentes, epilepsiam non continuò sed ex intervallis in ipso paroxismo membra concutere affirment, quod etsi verum saepe sit, non tamen est perpetuum, quippè fortissima & lethalis epilepsia, uno impetu nulla quiete interrupto, motibus convulsivis violentissimis aegrum de modio tollit. Boerhaavius communi opinioni inhaerens, epilepsiam ait alterna cum requie, & novo paroxismo invadere, sed ab ejus Commentatore Vanswietenio in hac re meritò corrigitur. (b).

Partes perpetuo in hoc morbo affectae sunt cor, & cerebrum. Quamquam sensuum, mentisque operationes exerceantur in cerebro, imò & motus voluntarius ejus comercium per nervos postulet, tamen ex vi consensus adeò necessarius est cordis influxus, ut eo affecto determinata laesionis forma, affectus capitis morbosi sequantur, ut de apoplexia, & lethargo agentes vidimus. Sunt epileptici, qui ante morbi accessionem (paroxismum vocant) debilitatem in cordis regione sentiunt, totumque corpus frigidum, & iners redditur. Sunt alii, qui sensum guttae in cor cadentis sibi videntur percipere. Sunt denique alii, qui de ineffabili circa cordis regionem conquaeruntur molestia. Hinc apud nostrates hoc mali genus appellatur *mal de corazon*, *gota coral*. Ergo cerebrum hic per propriam saepè laeditur affectionem, interdum ex corde recipit malum, ac quocumque demum modo id fiat, utraque pars in epilepsia patitur, alia aliam necessario consensu afficiente, quod maximè in quovis aegro notandum, ut ei quae magis laborat auxilium potius adhibeatur (c). Etsi partes in hoc morbo perpetuò affectae

(a) Vide Valles. *Commen. in l.* 4. *Epidem. Hipp. text.* 22. *pag* 239. *&* River. *Prax. Medic. l.* 1. *cap.* 7. Sennert. *Pract. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 31.

(b) Boerhaav. *Aphorism. de Cogno. & curand. morb.* §. 1071. & Vanswiet. *in Comm pag.* 393.

(c) Vide Carol. Pis. *de Morb. à Colluv. seros. sect.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. *pag.* 126.

tae cerebrum sint & cor, eis tamen malum ex aliis communicari potest. Agnovit Galenus Grammaticum quemdam juvenem, qui quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur, comitiali morbo corripiebatur, absdubio ex ore ventriculi nascente damno, quoniam id laesum prius perpendebatur, eoque sanato & epilepsia fugata est (a). Alios etiam comitiali morbo tentatos vidit ex oris ventriculi vitio, cum aut non probè concoxissent, aut vini meracioris plurimum potassent, aut ubi veneri immodicè operam dedissent (b). Ex uteri affectionibus epilepticos insultus nasci nemini ignotum est: imò ex particulis in extremo corporis collocatis, speciali tamen vitio infectis epilepsiam interdum oriri testis est Galenus, ipseque in praxi observavi juvenem, cui convulsione in pollice pedis dextri incipiente, atque instar aurae cerebro sese communicante, vera propriaque epilepsia subnascebatur (c). Epilepsia est symptoma facultatis animalis tàm principis, quàm non principis, quippè motus depravatur, sensus aut abolentur aut minuuntur, mensque ipsa ab omnibus functionibus cessat, unde actiones depravatas, & abolitas, aut saltem diminutas sub se comprehendit. Morbus hujus symptomatis generator est intemperies, qua ipsa partium affectarum substantia peculiari & ineffabili modo vitiatur, ut quantumvis cerebrum & cor repleas, obstruas, calefacias, frigefacias, aut quibusvis sensibilibus qualitatibus alteres, non accedet epilepsia; praesente, quavis de causa, speciali harum partium corruptione, hic, non alius emerget morbus (Pathol. 11.). Accedit non raro ad hanc affectionem vehementiorem efficiendam vitium organicum, dum ossa capitis qua parte palatum naresque respiciunt nimis densa, nec satis pervia sunt, tunc etenim cerebri excrementa detinentur neque difflantur, atque fomitem morbo praestant.

Quod ad causas occasionales attinet, etsi plethora & obstructio symbolam hic suam conferre possint, tamen nisi

 ip-

(a) Galen. *loc. cit.*

(b) Galen. *de Loc. affect. lib.* 5. *cap.* 6.

(c) Vid. Galen. *lib.* 3. *de Loc. affect. cap.* 7.

ipsis accedat specialis diathesis epilepsiam non inducunt. Ergo specialis requiritur in spiritibus, atque partium affectarum constitutione diathesis huic morbo producendo accommodata, quae qualis sit, *à priori*, ut ajunt, nemo mortalium hucusque novit, neque ad medendum est necesse, cum satis sit per phoenomena ab ipsa emanantia novisse quid faciat, quibusve auxiliis natura juvata eam depellat (Pathol. 36). Mulierem narrat Vanswietenius, quae dum marem utero gestaret epilepticis insultibus, minimè verò dum gestaret foeminam, vexabatur. Sed quis, ait vir summus, hujus rei dabit rationem(a)? Nec recursus valet ad apertionem cadaverum, ad diathesim epilepticam inveniendam, nam eodem Auctore teste "non semper inveniuntur mutationes sensibiles in cada-„veribus hoc morbo defunctorum, imò & fassi sunt summi „in arte viri atque in rebus anatomicis peritissimi, quod in „cadaveribus hoc morbo extinctorum nihil invenerint saepè „quod culpare poterant, sicut nullus determinavit hactenus „memoriae sedem, originem determinatam illius potentiae „corporeae, quae musculos ad arbitrium voluntatis movet, „nec plura alia (b)." Haec diathesis epileptica pluribus venit à principiis generationis, ita tamen ut non modo à parentibus ad filios, sed ab avis ad nepotes quandoque transeat: aliis ab humorum & spirituum vitio determinato, ut hystericis, scorbuticis, melancholicis: aliis denique à suppressis evacuationibus, aut intus pulsis humoribus noxiis cutem foedantibus, vel articulos laedentibus. Nec desunt qui ob specialem idiosincrasiam huic morbo sunt proclives, usqueadeo ut non infimae notae Auctores eos credant epilepsiae obnoxios, qui menstruis fluentibus concepti sint, aut sub eclipsi Lunae nascantur (c). Causae efficientes sunt aër non manifestis qualitatibus, sed occulta vi corpori infensus. Inde veris & autumni tempus: Lunae influxus: pluviosa constitutio: epidemicus status, ad hunc excitandum morbum pluri-

(a) Vanswiet. *Comment. in Aphorism. Boerhaav.* §. 1076. *pag.* 424.

(b) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1072.

(c) Vide Sennert. *Pract. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 31. Lomm. *Medicinal. Observat. lib.* 2. *p.* 79. Nicol. Pis. *de Morb. cognosc. lib.* 1. *cap.* 19. *tom.* 1. *pag.* 130.

rimum faciunt. Hinc febribus ardentibus, malignis, exanthematicis, aliisque id genus, non perpetuò, sed certis annorum temporumque constitutionibus familiares sunt epilepsiae. Diaeta in his qui epilepsiae suscipiendae dispositi sunt, facilè malum commovet, si intempestivè & praepostere quis ea utatur. Igitur sub ea dispositione nimius lactis usus, panis non fermentatus, carnes haedorum, hepar hircinum & caprinum, anguillae, & juxta quosdam non ignobiles Auctores, coturnicum, apii, & lentium esus epilepsiam nullo negotio provocant (a). Fatendum tamen haec omnia non ita firma esse, ut innoffenso pede calcanda sint: attamen neque negandum, quaedam esse alimenta speciali vi quibusdam morbis augendis accommodata, atqueadcò prudens Medicus attenta observatione sic se gerat, ut neque temerè affirmando, nec facilè spernendo, omnia maturo consilio disponat. Exercitium immodicum certè ad epilepsiam excitandam facit (b). Faciunt etiam cibi fumosi caput replentes, rerum foetidarum, imò & aromaticarum odores fortes, vinum generosum & vaporosum, venena, & acria medicamenta, praesertim purgantia ex mercurio, & stibio parata. Sed omnium maximè ad epilepsiam inducendam conferunt animi pathemata ut ira, moeror, terrores, unde melancholicos epilepticos facillimè fieri, agentes de melancholia vidimus. Quinimo observatione scimus, incussum pueris per imprudentes jocos metum & terrorem eos reddere epilepticos.

In historia epilepsiae ante omnia scire oportet, morbum hunc non continuò, sed periodis & paroxismis per certa tempora revertentibus affligere. Saepèque fit, ut imminentem paroxismum quaedam phoenomena praeveniant, non raròautem & ipse nullo praecedente inditio repente ingruat. Ergo in corporibus ad epilepsiam dispositis mali accessionem praesagiunt oculorum hebetudines, vertigines, corporis gravitas, aurium sonitus, in iram proclivitas, animi angor, linguae incontinentia, somnus turbatus, penis tentigo, urinarum

(a) Vide Sennert. *Prax. lib.* 1. *part.* 2. *capit.* 31. *quaest.* 12. *pag.* 169.

(b) Vide Galen. *Consil. de Puero Epileptic.*

rum aquearum copia, vultus inflatio decolor, oculorum cum dejecto visu depravatio. Haec sunt quae magnam partem antecedunt epilepticum insultum; sed notandum hystericas foeminas, virosque hypocondriacos ea accidentia perpeti sine superveniente epilepsia, etsi ad eam sint paratissimi: imò & supradicta omnia caeteros capitis morbos praesertim soporosos antevertere solent. At ingruente epilepsia, subito homo concidit sensu privatus cum omnium membrorum saltibus & convulsionibus: oculorum & oris adest distortio, mutuusque musculorum hùc illùcque concussus: lingua ex ore prolabitur, ut periculum sit, ne dentium collisione vulneretur aut abscindatur: malae rubent cum livore: cervicis venae distenduntur: vox aufertur, ut nihil nisi gemitus & suspirium supersint: etsi vehementer inclames, nihil aeger sentit: manus & brachia convelluntur: crura non modò distracta sunt, sed etiam ad superiora retrahuntur: cervix incurvatur: caput ita variè distorquetur, ut nonnumquam ceu arcus inflexum, maxilla pectori adhaereat, interdum ad scapulas refringitur, veluti iis usu venit, qui per vim crinibus trahuntur: respiratio difficilis, eorum instar qui laqueo strangulantur, cum gutturis stridore, & stertore pectoris: pulsus celeres, duriusculi, parvi: os & nares pituitam fundunt, spumosaque saliva educitur. Dum verò accessio epilepsiae à pede incipit (idem intellige de quovis alio membro) digiti convelluntur cum dolore, stupore, & tremore, citoque per universum corpus impetum faciens caput invadit, atque ita affectis fragor quidam redditur perinde ac si à ligno aut lapide verberentur. Simul atque morbus in digitos impetum dedit, qui adsunt adjutores inclamant futuram agnoscentes calamitatem, obsecrant ut membra unde oritur constringant; ac non raro ceu ab invadente fera pavor eos corripit, atque malo caput occupante procidunt. Si epilepsia à ventriculi aut uteri affectionibus proveniat, facillimè cognoscitur malum aliunde derivari & ad caput adferri, dummodo ea in promptu sint quae in Pathologia monuimus de distinguendis morbis per proprium affectum & per consensum (Pathol. 18.) Sed undecumque veniat accessio phoenomenis jam positis manifestatur. Epilepsia ex se morbus longus est, atque si penitus insederit aut radices altas egerit, ferè cum aegrotan-

te

te vivit, atque commoritur. At paroxismus est acutissimus, & periculosissimus, quandoquidem una accessio hominem rapuit; ferèque sic incidit ut pluribus accessionibus assuetus aeger, tum demùm paroxismo vehementiori prehensus pereat. Ergo si in accessione constitutus post aliquot horas ad se non redeat, quin potius minuentibus, aut per intervalla repetentibus convulsionibus, sensus, apoplecticorum more, abolitos habeat certum exitium imminet, epileptici enim ex apoplexia moriuntur. Quod si sublatis, aut imminutis convulsionibus, sensus etsi stupidi non omninò deficiunt, atque sopor non admodum gravis aegrum detineat, interimque stercus, lotium, imò & genitura sua sponte profluant, strangulatioque praecedens remittat, omnia itidem remittere videntur, ac tamquam expulso morbo resipiscit & resurgit. Caeterum, accessione cessante, omnium gestorum adest ignorantia: membrorum segnities cum vultus maestitia: languor, pallor, animi consternatio: oculorum turbatio: labiorum, venarumque frontis extuberatio: mentisque nonnumquam alienatio, interdum stupiditas; idque foedum & tristissimum est, ut inter paroxismorum intervalla aegri torpentes sint, animo abjecti, moesti, hominum aspectum consuetudinemque vitantes, in sermone titubantes, atque mentem usque eò morbus conturbat ac dejicit, ut prorsus denique infatuentur. Morbus hic foeminas minus quam viros, senes minus quam pueros adoritur, hosque tum praesertim vexat cum dentitionis tempus accedit. Mutatione tamen aetatis, victus, locorum depelli solet, tum maximè foeminae ab eo liberantur dum pubertatis tempore menstrua apparent, aut partu plura purgamenta rejiciunt. Sed id tenendum, morbum hunc numquam facilè recedere, saepe pueros quos semel arripuit, deformes reddidisse, aut manum inutilem reddendo, aut torquendo faciem, aut sensum aliquem prorsus auferendo. Neque facilè curationis est credendus effectus, quo depulsam pastionem judicemus, etsi accessiones ad solitum tempus non redeant, fallax enim est & irregularis; nec aliter securus aeger habendus, nisi cum à paroxismorum repetitione liber, somnos habeat placidos, appetitum congruentem, corporis & animi promptitudinem, nutritionem laudabilem, excrementorum alvi excretionem moderatam, ac bonum faciei colorem: è contrario cum continen-

nenter recurrit morbus, atque intervalla accessionum habet quamminima, diuque, ubi invasit, immoratur, ac post vehementes membrorum agitationes altus succedit sopor diutius permanens, nec ullis cedens medicamentis, lethalis esse consuevit.

Hucusque veram legitimamque descripsimus epilepsiam, cujus historiam accuratissimam Veteres tradiderunt, de imperfecta parum solliciti, utpote eadem methodo eisdemque remediis curanda. Nunc autem in gratiam Tironum aliqua de epilepsia levi & imperfecta breviter proponemus. Variis modis solet affectio haec sese ostendere. Sunt qui non toto corpore convelluntur nec concidunt, sed vel caput, vel oculi, manus aut pedes contorquentur, atque hinc inde jactantur, nunc ea quae geruntur percipientes, nunc omnium ignari. Alii vociferantur vocem inconcinnam edentes, dentibus stridunt, manus clausas habentes, quandoque in gyrum agitantur. Vidi juvenem saltantem, atque incoercibili impetu in saltationes ita violenter arreptum, ut nulla vi in quietem redigi posset. Sorores duas in lecto continuis omnium membrorum saltibus agitatas observavi. Hosce saltationis modos recentiores choraeam sancti Viti appellant. Sed longè tristissimum est quod Hoffmanus describit malum, idque in praxi vidisse memini. "Sentiunt, inquit, aegri sensum formicationis in manibus vel pedibus: „sequuntur oscitationes, pandiculationes, praecordiorum „anxietates: tum excipiunt ipsae volutationes ac agitationes spasmodico-convulsivae ab uno membro ad alterum „ambulantes: mox enim brachia manusque attolluntur, trahuntur, retrahuntur, jactantur, variisque modis agitantur „ac si tribularent: mox pedes in diversas plagas extenduntur, dextrum crus antrorsum, sinistrum retrorsum, aut vicissim trahuntur, terram validissimè quatiunt conculcantque: genua ad corpus retrahuntur: mox totum corpus antrorsum, retrorsum, ad latera movetur, attollitur, circumgyratur, contremiscit, spina dorsi incurvatur, arcum „format: mox in terra insectorum instar reptant, ac miserè quatiuntur, mox unguibus dilacerant vestes, scalpunt „parietes. Non minus caput afficitur, torquetur mirificè, in „omnes plagas rotatur: oculi violenter aperiuntur, in gy-

„rum

»rum moventur: os hiat, mox clauditur, huc vel illùc tor»quetur: linguam ore exserunt atque commordent. Sonitus »edunt varios mirificosque, boatus, aliasque animalium vo»ces aemulantes, ut à doemone videantur obsesi: flent, ri»dentque sine ratione, & aliorum voces acutissimis auribus »excipiunt.... Respiratio est angustissima cum suffocatio»nis metu: cardialgia vehemens, crudelissima imi ventris »tormina, singultus, cordis palpitatio, alvus adstrictissima, »urinae tenuis, vel nullius mictio: & verbo, nulla in to»to corpore pars est quam non pervadat truculentum ma»lum (a)." Accuratissima est Hoffmani descriptio cum veteribus comparanda; praeivit tamen Petrus Salius Scriptor egregius in Opusculo *de Affectibus particularibus* longe utilissimo (b).

Curatio epilepsiae varia est pro temporum morbi varietate, aliter enim paroxismo prehensus aeger, aliter, ab ipso liber tractandus. Si Medicus, quo die primum is incidit, accessit, omni opera ipsum depellere debet, non quidem importuna remediorum farragine, sed naturam lege artis juvando, ut ab accessione immunis evadat. Jam verò ante omnia membrorum agitationes vehementes cohibere oportet, sic tamen ut nonnihil ipsis concedatur, in totum enim prohibere nihil aliud est quàm paroxismi solutionem retardare, quia natura media partium concussione materiam morbificam discutit. Conveniunt ergo frictiones blandae partium inferiorum: ligatura tibiarum, & brachiorum: & in morbo tenaci, etiam scroti, quae est efficacissima. Diductis etiam maxillis potio ex syrupo peoniae, castorei tinctura, & aqua theriacali, in aqua communi dilutis ex usu esse potest. Sunt qui felici successu in aures & nares immissere oleum roris marini, anisi, aut salviae arte chimica extractum. Sed cum in paroxismo epileptico nedum motus convulsivos sedare, sed & sensum ac mentem restituere conveniat, ea in usum adducenda sunt quae ad apoplecticos excitandos & lethargicos conferre diximus. Igitur si sanguinis suppressio per nares.

N hae-

(a) Hoff. *de Morb. spasmod. sect.* 1. *cap.* 3. *tom.* 3. *pag.* 35.

(b) Petr. Sal. *loc. cit. cap.* 20. *p.* 341.

haemorroides, aut uterum fomitem morbo dederit, in ipsa accesione mittendus sanguis ex vena brachii; secus verò faciendum ubi cacochimia, obstructio, ventriculi labes eum excitaverint, nihil enim tunc salubrius, quàm vomitum ex tartari emitici benè praeparati granis sex aut octo, vel radicis Ipecacuanae drachma semisse provocare. Prosunt etiam clysteres ex rutae, absinthii, betonicae decocto, additis melle & sale, atque in uteri affectionibus, etiam oleo. Quod si Medico is, qui cadere consuevit, traditus est, protinùs recta victus ratione instituta, expectandus est dies quo prolabatur; utendumque tum vel sanguinis missione, vel ductione alvi, aut emetico sicut praeceptum est, atque ea omnia agenda quae ad paroxismum fugandum supra comprehensa sunt. Jam vero tota Medicinae facultas in id incumbere debet, ut paroxismos prorsus amoveat, atqueadeó curationis cardo hùc vertitur, ut ab accessionum repetitione aegros liberemus. Praecipiendum igitur ut aeger se exerceat, cruditatem vitet, fugiat solem, ventum, frigus, vinum, venerem, lassitudinem, sollicitudines, negotia omnia: quod, donec quatuordecim dies transeant, observandum in eo, qui primum corripitur, eos enim ubi morbus excessit, acuti vim deposuit; at si manet, curandus jam ut longus est: ita enim comparatum, ut morbo primum incipiente vires instar acutorum per quatuordecim dies exerceat, tum frequentia, cum vehementia repetitionum; ipsis verò transactis more chronicarum affectionum sese prodere consuevit. Ergo ad epilepticos insultus quovis modo praecavendos ante omnia conducit proba in victus ratione diligentia, nisi enim haec ordinata sit, irrita fient quaecumque alia medicamina. Observatis omnibus quoad victus genus quae supra comprehensa sunt in quolibet epilepsiae genere, venae sectio nunc exercenda, nunc omittenda est pro aegrotantium & adjunctorum varietate; at alvum ducere sordesque primae regionis eluere utilissimum est, idque ex rhabarbaro ad scrupulos duos, singulis mensibus, aut brevioribus intervallis, pro re nata, praescripto satis efficitur. Plura medicamenta ad hunc morbum in libris Medicorum extant, sed magnam partem aut vana & fallacia, aut superstitiosa sunt. Fateri oportet, non modo veteres, sed & recentiores ad hanc affectionem pellendam vanissima adoptasse remedia,

cum

cum enim saevissimus atque occultissimus morbus sit, nihil intentatum pro eo fugando reliquere. At re maturius inspecta agnoverunt prudentes viri, medicamenta epileptica, quae sub eo nomine toties decantantur, nihil efficere, neque inventum hucusque remedium, quod vi propria adversus epilepsiam pugnet. Relictis ergo naeniis, atque crepundiis, solum corticem peruvianum hic prodesse novimus, non tam vi sibi propria, quàm facultate periodos & paroxismos abigendi. Igitur fideli observatione didici, *Electuarium peruvianum epilecticum Fulleri* ex cortice peruviano, serpentaria virginiana, & syrupo peoniae conflatum plus hic quàm quaevis alia medicamina valere. Sed remedium hoc per tres aut quatuor menses, sub trium drachmarum pondere, singulis diebus sumendum est, neque inter ejus usum quidquam vetat rhabarbarum modo supra praescripto assumere. Fonticuli ad epilepticos ex usu esse possunt, tum maximè si excretio humoris corrupti ad cutem quovis modo suppressa sit.

APHORISMI.

I.

Quibus epilepsiae ante pubertatem contingunt, mutationem habent: quibus verò accidunt viginti quinque annos natis, his plerumque commoriuntur (a).

AEtatum in hominem potentiam ad immutandum temperamentum in Physiologia satis monstravimus, ibique vidimus alios morbos unam aetatem ferre, alios alteram, modo simul permanere, saepè prioribus destructis novos supervenire. Ergo epilepsia puerorum mutationem accipit per aetatem pubertatis. Verissimè Celsus "saepè eum (morbum comitialem), »inquit, si remedia non sustulerunt, in pueris veneris, in »puellis menstruorum initium tollit (b)." Sed perpetuum non est, epilepsiam in his qui vigesimumquintum annum attige-

 runt,

(a) Hppo. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 7.

(b) Cels. *de Medicin.* *l.* 3. *c.* 23. *pag.* 172.

runt, commori, cum viderim ipse aliquos senes hoc morbo sanatos. Proinde Hippocrates *plerumque* id ait fieri, quod maximè verum est, ubi epilepsia in habitum versa nulla artis neque naturae vi amoliri potest, aut dum in pueritia incipiens, non tollitur ante vigesimumquintum aetatis annum.

II.

Epilepticis pueris mutationes maximè aetatis, & regionum, & vitarum liberationem faciunt (a).

Parum opis epilepticis praestat pomposa remediorum antiepilepticorum, ut vocant, & confusa farrago, nostris temporibus in rudissimam molem apud pharmacopearum Auctores undique excrescens: sed maximum auxilium spectandum ex mutatione aetatis, & regionum, & diaetae. Optimè Paulus: "Si infans (inquit) fuerit qui aegrotat, nihil moliendum "est, nam aetate ad biliosiorem siccioremque statum trans"eunte, & victus moderatione adhibita, sua sponte plerum"que morbus finitur (b)." Videndus utique hac de re Vallessius noster, qui ingeniosè, ut solet, exagitat, an epilepticos remediis tractare oporteat (c).

III.

Pueri quibus erumpunt ulcera in caput & in aures ac in reliquum corpus, & qui salivosi fiunt ac mucosi, hi ipsi progressu aetatis facillimè degunt, hic enim abit & purgatur pituita quam in utero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerint, comitiali morbo non apprehenduntur (d).

Pulcherrima sententia & Hippocratis sapientia digna. Discimus hinc Medici naturae pro sua conservatione leges, quibus certis temporibus, certisque viis mala pellit. Ergo dum pueros videmus salivosos, mucosos, capitis favis, ulceribus, crustis, aliisque exanthematibus obnoxios, nihil agendum ad-

(a) Hipp. *l.* 2. *Aphor. sent.* 45.
(b) Paul. AEginet. *l.* 3 *cap.* 13. *pag.* 67.
(c) Vall. *Controv. l.* 8. *cap.* 8.
(d) Hippocr. *de Morb. saer. text.* 143.

adversus hos morbos, neque muliercularum clamores exaudiendi, sed curandum unicè, ut errores in victu vitentur, nam quod reliquum est, temporis progressu natura perficiet. Sunt pueri, quibus per aures serum putridum graveolens determinatis temporibus excernitur. Hoc remediis sistere aegrum jugulare est, via enim ad epilepsiam lethalem facilè sternitur.

IV.

Salutare est menstrua non cohiberi, nam inde veniunt epilepsiae, quibusdam autem profluvia longa ventris, nonnullis etiam haemorroides (a).

Quemadmodum advenientibus menstruis puellae ab innumeris morbis liberantur; ita iisdem deficientibus in graves noxas incidunt. Sed ut in pubertate agitantur foeminae antequam sanguis erumpat, circa quadragesimum annum varias experiuntur aerumnas ob mutationem in utero factam ut menstrua deficiant. Adveniunt ergo quibusdam epilepsiae, aliis ventris fluor, dolores per corpus, capitis vertigines, milleque modis jactantur. Sub eo statu pauca agere, venae sectionibus ex intervallis uterum deplere, diaeta sobria plenitudinem vitare, modicè sese exercere, pro salute habenda sunt, qui enim remediorum farragine foeminarum quaerelas pacare intendunt, eas de medio tollunt.

V.

Qui statis temporibus sanguinem profundunt siticulosi, si loco non profuderint, epileptici moriuntur (b).

Periodicae sanguinis excretiones per uterum, haemorroïdes, nares, si quavis de causa supprimantur praeter naturae institutum, plurimos morbos creant; sed si simul siti vexantur aegri, ut plurimum in epilepticas transeunt convulsiones. Sub eo statu calidis medicamentis specioso diureticorum & aperientium titulo curationem instituere, epilepsiam advocare est, tam longè abest, ut ea methodo ipsam praecavère quis

(a) Hipp. *Conc. praenot. Duret. l.* 3. *tract.* 3. *sent.* 10.

(b) Hippocrat. *Coac. praenot. Duret. l.* 2. *cap.* 13. *sent.* 20.

quis possit (a). Ergo moderatis venae sectionibus, & aquae simplicis nitro puro alteratae usu res est agenda, atque praecipua operis pars naturae, & tempori committenda. "Profecto, inquit Hoffmanus, in hujusmodi capitis morbis peculiare quid habet aquae frigidae simplicis fontanae, & pluviatilis potus paulo largior, quippe quae praeter vim temperantem, humorumque acrimoniam diluentem, partibus etiam relaxatis robur atque tonum restituendi insigni pollet facultate (b)... praestantissimum remedium est convulsivis morbis aqua simplex naturali frigiditate largius hausta, qua sola atrocissimas convulsiones profligatas vidi (c)"

IV.

Hydropicis superveniens epilepsia funesta (d).

Hydrope, cachexia, leucophlegmatia tentati, tum lipothimiis, cum spirandi difficultate vitam finire consuevere; at si sanguinis suppressio fomitem morbo dederit, etiam aphonia & convulsionibus intereunt. Plures hydropicos vita functos per aphoniam tradit Hippocrates in Epidemicis (e)

VII.

Epilepticis urinae praeter morem tenues & crudae, si repletio nulla adsit, de instante casu admonent, idque praesertim si ad acromium, cervicem, aut dorsum dolor & tensio urget, vel corporis obrepit stupor, vel perturbata insomnia observantur (f).

Quod Hippocrates de agnoscendis epilepticis ex urina tenui & cruda asserit, in hystericis foeminis & viris hypocondriacis observavit Sydenhamius, cum videret, instante malo, urinam eos reddere limpidam adinstar aquae & satis copio-

sè

(a) *Vide Illustrat. nostr. ad Hipp. Epidem. lib. 1. constitut. 3. num. 6. pag. 113.*

(b) Hoffm. *de Morb. convulsiv. sect. 1. cap. 1. §. 8. pag. 15.*

(c) *Idem loc. citat. cap. 2. §. 5. pag. 27.*

(d) Hippocr. *Coac. Praenot. Dure. lib. 2. cap. 19. sent. 5. pag. 320.*

(e) Hippocr. *lib. 7. Epidem. n. 21. & 22. & li. 5. Epidem. num. 104.*

(f) Hippocr. *Coac. Praenot. Duret. l. 3. tract. 3. cap. 3. sent. 55.*

sè (a), quod monendum duximus, quoniam morbi isti, saepè similes confunduntur. Sunt qui urinae cruditate delusi has affectiones medicamentis calidis abigere aggrediuntur. "Sed „affectiones spasmodicae vagae respuunt valida remedia, ac „exacerbantur ab omnibus ut levissimis spirituosis, com„moventibus, ac calidioribus, bezoardicis, alexipharmacis, „volatilibus, essentiis, oleis distillatis, &c. (b)."

VIII.

Quartana correpti non admodum convulsionibus tentantur, quod si prius tentati fuerint, superveniente quartana liberantur (c).

Quod hic Hippocrates de convulsionibus significanter, alibi de epilepsia pronuntiat (d). Salubritatem quartanarum febrium in epidemicis monstravit, ut multarum observationum fide ea nobis innotescit. Celebris Mathematicus de la-Hire palpitatione cordis per supervenientem quartanam omninò liberatus (e). Sed Galenus in hujus aphorismi expositione rectè monuit, eas tantùm convulsiones solvere quartanam, quae à repletione fiunt. "Observavi in praxi mea (inquit „Gorterus) levissimas convulsiones hystericas frequentius fie„ri in iis, quae quartana febre laborant, quam in perfectè „sanis (f). Quae cum vera sint, docemur utique, quartanam supervenientem homini repleto, & convulsionibus obnoxio relinquendam esse usque quo diuturnitate sua tum concoquendo, cum expellendo humores pravos, sua sponte evanescat. "Cephalaeam (inquit Vanswietenius) quae per an„nos aflixerat per periodos recurrens, cessasse toto illo tem„pore, quo quartana tenebatur aeger, observavi. Dolorem „inveteratum humeri dextri in homine vidi evanuisse, dum „quartana febris illum corripiebat, cujus per sex menses jam „du-

(a) Sydenham. *Epist. de Affect. hyster. pag.* 141.

(b) Hoffm. *de Morb. spasmod sect.* 1. *cap.* 3. *pag.* 39.

(c) Hippocrat. *li.* 5. *Aphor. sent.* 70.

(d) Hippocr. *lib.* 6. *Epidem. sect.* 6. *text.* 7.

(e) *Histoir. de l' Academ. Royal. des Scienc. ann.* 1718. *pag.* 88.

(f) Gorter. *Comm. in Aphor. Hipp. lib.* 5. *sent.* 70.

„durantis pertaessus, corticem peruvianum sumpsit tali cum „effectu, ut quartana abesset quidem, sed rediret humeri „dolor. Post mensem rediit quartana, quam ferens patienter „donec sensim sponte decesserat, à molesto illo dolore pos„tea immunis vixit (a)."

IX.

Illud tamen non oportet ignorare sanari hoc vitium (epilepsiam.) *cum cognitum est, aliquibus, viros faciliùs mulieribus remediari, pueros vel virgines liberari post complexum & devirginationem* (b).

Veneris usum ex se nulli morbo tollendo prodesse tenendum, at vi aliena, seu ut in scholis dicitur, *per accidens*, convulsionibus & epilepsiae remedium quandoque attulisse, communi multorum observatione constat. Galenus non omnino sequendus, dum semini & sanguini retentis convulsionum, quae ex utero nascuntur, fomitem tribuere tentat (c), sed nec prorsus ejus doctrina abjicienda est, quippe multa tradit, ea de re, lectu digna, quae debitè excepta, epilepsiae medendae conferre possunt. Omnium optimè Hippocrates enarrans, quae mulieribus ex concubitus defectu proveniunt mala, inquit: "Mulieres si cum viris coeant magis „sanae sunt: si non, minus. Nam & uteri simul humidi „fiunt in commixtione, qui enim sicci sunt magis quam con„venit, fortitèr contrahuntur, ubi verò fortiter contrahun„tur, dolorem corpori afferunt, & simul coitus sanguinem „calefaciens ac humectans viam faciliorem mensibus fa„cit (d)." Sed in his cauti sint Tirones, neque quidquam unquam consulant, nisi Religionis Christianae placitis consonum sit (Patholog. num. 44.).

X.

Timonactis puero quasi duorum mensium exanthemata in cruribus, & in coxis, & lumbis, hypogastrio, & tumores valdè rubicundi. Sedatis autem his, convulsiones & epileptica fie-

(a) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 754. *pag.* 476.

(b) Scribon. Larg. *de Compos. medicam.* 18. *pag.* 143.

(c) Galen. *l.* 6. *de Loc affect. c.* 5.

(d) Hippocr. *de Genitur. num.* 7.

fiebant, sine febribus multis diebus, & mortuus est (a).

Etsi hic Hippocrates singularem observationem afferat, tamen ea univesalem canonem continet, quo docemur, nunquam in morbis cutaneis, cujuscumque indolis ii fuerint, medicamenta exterius applicanda quò evanescant, nam facile succedunt epilepsiae. "Nihil periculosius est, inquit Hoffmannus, quam in tinea capitis improvidè exterius unguenta vel „lavamenta applicare: repulsa enim materia corrupta acri ad „cerebrum ejusque membranas ac nervorum principia, epi„lepsiae praesertim in infantibus, aliisque, graves capitis mor„bi accidunt (b)." Nec de tinea tantum, sed & scabie, caeterisque exanthematibus Auctor hic loquitur. Consulendus Tulpius, qui hac de re, sicut pluribus aliis, observationes fidelissimas maximè commendandas tradit (c). Sed hic monendi Tirones, non rarò convulsiones epilepticas anteverte re exanthematum eruptionem, quod Sydenhamius in variolis boni moris observavit (d), ipseque non penitus perniciosas esse vidi eas variolas, quarum prodromus esset epilepsia.

XI.

Epilepsia, & apoplexia interdum mercurialium usum tristissimo eventu subsequitur (e).

Mercurius seu argentum vivum metallum est in infinitas ferme particulas divisibile, nostrae naturae nulla vi adaptandas. Seu interius, seu exterius applicetur, ut est corpus humanae naturae alienissimum, si quietum sit neque vires nostras superet, non gravia cito producit mala; quavis autem agitatione inducta, illicò naturam ad expellendam rem sibi molestam excitata, mercurium movet, tantaeque tunc ab eo turbae excitantur, ut tremores, paralyses, epilepsiae, aliaque gravissima mala inde exurgant (Pathol. 43.). Qui ergo unctionibus mercurialibus susceptis curari desiderant, monendi sunt, ut cautè & religiosè vivant dum se sanos esse ju-

O di-

(a) Hipp. *l.* 7. *Epidem. text.* 94.

(b) Hoffm. *Medic. rat. systemat. Therap. fundament. sect.* 1. *cap.* 8. §. 16 *pag.* 336.

(c) Tulpius *Obs. lib.* 1. *cap.* 8.

(d) Sydenham. *Observat. Medicar. sect.* 3. *cap.* 2. *pag.* 22.

(e) Hoffm. *Med. rat. systemat. Pathol. general. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *in Schol. pag.* 220.

dicant, nisi enim mercurius è corpore penitus ejectus sit, repentinis morbis, sed praesertim epilepsiae subjacent. "Imò "constitit (ait Vanswietenius) argentum vivum humoribus "circulantibus mixtum miram mutationem corpori inducere, "& frequenter elabi ex vasis, colligi, & stagnari in ossium "cellulosis recessibus, ibique pondere suo membranas sensi- "les premendo, & distrahendo, dolores molestissimos tota "vita pertinaciter manentes producere.... Cum autem epi- "lepsia satis frequenter observata fuerit sequi imprudentem "applicationem argenti vivi.... patet & hanc morbi causam "reliquis adnumerari posse (a)."

XII.

Non semel sed saepius observatum est, morbos capitis ut epilepsiam, vertiginem, insaniam, motus artuum convulsivos à secta vena, ac celeriori & paulò largiore sanguinis emissione incrementum coepisse, & paroxismos sequentes graviores redditos..... Contra verò eductionem sanguinis per cucurbitulas qnam optimè ferre potuerunt, & cum levamine malorum (b).

Rectè quidem Hoffmanus hoc remedii genus commendat, quod tunc potissimum congruit, cum epilepsia à parte determinata originem trahit, ex ea enim sanguinem per cucurbitulam educere magnum praesidium est. Videndi Edimburgenses Medici, qui mirabilem epilepsiae à tibia nascentis curatonem ope scalpelli sunt consequuti (c).

XIII.

Ex his vanitas apparet omnium specificorum & methodorum, quae inanis jactantia contra hoc malum laudat (d).

Ex veteribus Medicis Scribonius Largus, Quintus Serenus Sammonicus, Marcellus Empiricus, aliique benè multi plura tradunt adversus epilepsiam medicamenta, sed omnia ferè inania. Circa nostra tempora alii cinnabarim nativam, aut anti-

(a) Vanswiet. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 1075. *pag.* 409.

(b) Hoffm. *Med. rat. System. de Method. sect.* 2. *cap.* 9. *theorem.* 18. *in Schol. pag.* 461.

(c) *Essais & Observat. de Medicin. art.* 27. *tom.* 4. *pag.* 523.

(d) Boerhaav. *Aphor. de Cognosc. & curand. morb.* §. 1085.

timonii: alii aquam cerasorum, liliorum convallium: alii ungulam alcis: &, quod crudele remedium est, humanum sanguinem pro tollendo hoc malo commendant. Nec desunt, qui specifica jactant, &, quod mireris, homines alioquin eruditi his aliisque nugis fidem praestant, iisque delectantur, ut nihil frequentius in libris Practicorum occurrat, quam horum aut similium medicamentorum inutilis farrago. Sed ex verò Uratislavienses Medici inquiunt: "Therapia hujus affectus »maximè ardua, ac qui vel parum hic promittere audent, »vix ac ne vix fidem adimplent. Felices qui methodo prae»servatoria à sontico hoc malo industria periti Medici prae»muniuntur, ablatis epilepsiae causis (a)." Vanswietenius postquam plura tradidit de epilepsia scitu dignissima, tùm demùm circa specifica inquit: "Interim tamen plurima hic jac»tantur specifica, & quidem tantus illorum numerus est, ut »singula ex innumeris Auctoribus colligere laboriosum foret, »taediique plenum opus, nec magnae utilitatis, cum effec»tus in hoc morbo sanando minimè respondeant tantis pro»missis (b)." Interea minimè tacendum, hunc scriptorem testari se vidisse "longo labore ex cupro praeparatum reme»dium, quod assumptum nullam faciebat nauseam, sed miram »quamdam formicationem quasi per totum corpus ad extre»mos digitorum apices usque; & illud quibusdam profuisse »novit (c)." Sed quale illud sit, & qua arte praeparetur, non manifestat, fortè id ei erat incognitum. Casalius noster vir candore & peritia medica, si quis alius, egregius, postquam longa praxi pluribus & accuratis observationibus invenit, nihil in epilepsiis Asturum sanandis conferre viscum quercinum & corallinum, oxyachantam, pulveres Marchionis, Imperiales, de Valeriana, serpentaria Virginiae, floribus tiliae, & peoniae, tum demùm bona fide pronuntiat, tres aut quatuor epilepticos curasse pulvere ex visceribus Erinacei terrestris, vulgò *Herizo*, conflato, & siccato, quem drachmae semissis pondere in jusculo, aut aqua florum tiliae matutinis horis

O 2 pro-

(a) *Histor. Morbor. Uratislao. ann.* 1699. *pag.* 38.

(b) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 1085. *pag.* 452.

(c) Vanswiet. *Comm. in. Aphor. Boerhaav.* §. 1080. *pag.* 438.

propinabat, ita tamen, ut ante hujus remedii usum debitis evacuationibus corpus praepararet, ejusque pulveris usus postea per plures dies continuaretur (a). Hanc Casalii observationem eò magis aestimandam censeo, quod apud Lemerium confirmatam reperiam (b).

CAPUT X.

DE CATARRHO.

VEtustissimum, omniumque saeculorum calculo comprobatum dogma est, ex capite fluere humores cum spiritibus in subjecta membra, itemque partes corporis eos mittere alias in alias juxta praescriptas naturae leges. Sunt tamen nostris temporibus homines, qui defluxum humorum à capite in partes inferiores negare ausi sint, ea sola ratione ducti, quod viae non pateant Anatomicis per quas effluxus fieri debet. Sed cum multiplex sit humorum motus in crisibus, metastasi, successionibus morborum, imò & in sanitate diversis modis humores moveantur, quin adhuc apertae nobis viae sint per quas fluunt, naturaque ex instituto Creatoris eas inveniat, facile patet nullius roboris habenda esse paucorum hominum argumenta, quae nedum parum valida, sed & adversus constantes omnium temporum observationes bene constitutas pugnant. Haec sufficiat innuisse Tironibus. ne fortè novitatum specie allecti fallantur, cum facile sit Sennertum, & Carolum Pisonem adire, qui rem exprofesso tractant, nosque in Physiologia dum de partium consensu egimus, itemque in Illustrationibus ad Hippocratis Prognostica satis humorum ex capite in partes inferiores, itemque unius partis in aliam transmissionem ex ipsis naturae operibus, saniorumque Auctorum doctrina monstravimus (c). Id unum adjiciam, Gorterum, non ignobilem inter Neotericos Scriptorem,

(a) Casal. *Histor. Physic. Medic. del. Principad. de Astur. cap.* 20. *pag.* 141. *y siguient.*

(b) Lemeri *Trait. Universel. des Drogues simples. verb. Echinus terrestis, pag.* 325.

(c) *Sect.* 2. *text.* 49. *pag.* 176.

rem, etsi per anatomes inquisitiones & novae theoriae fundamenta non invenerit, qui fieri possit ut humores à capite in pectus, aliasque inferiores partes ruant, tamen cum factis constantissimis id constet, destillationes admittere, modumque fluendi invenisse sibi visus est (a). Igitur veteres Graeci quemcumque humoris ex capite fluxum, *Catarrhum*, Latini destillationem: humoris quovis modo ex una in aliam partem effluxum seu dolorem inducendo, aut sine dolore, *rheuma* appellavere. Posterioribus temporibus usus obtinuit, ut *catarrhi* nomine fluxus ille tantum intelligeretur, qui ex capite in fauces & pulmones delabitur (b). Jam vero cum fluxio humorum à capite in oculos, nares, aures, etsi ad catarrhum veteri stilo pertineat, parvae sit considerationis, proinde dedita opera curavimus, ut de eo catarrho verba faciamus, qui partes thoracis magno saepè discrimine infestare solet, eumque sub capitis morbis comprehendimus, quoniam caput est omnium catarrhorum fons & origo. Innumerae penè sunt catarrhorum differentiae, si sapores acidos, salsos, amaros: crassitiem, tenuitatem, molem, impetum materiae fluentis: simulque partes tum externas cum internas ab eo infectas contemplemur; cum multis modis corrupta materia varias subinde inducat colorum, saporum, & substantiae modificationes, nullaque ferè pars, nullusque morbus sit, qui aut à catarrho nasci, aut foveri non possit. Ergo in his omnibus sufficiat Tironibus pro praxeos usu attentè in quovis morbo inspicere, num aliqua destillatio ex cerebro eum producat aut foveat, quoniam ita melius aegrotis subvenire poterunt. Duo igitur sunt differentiae notabiles catarrhi, aut enim est benignus, aut malignus: aut recens, seu in habitum versus. Benignus esse solet, qui ad nares fluit à Graecis *coriza*, à Latinis *gravedo* appellatus, sicut qui ad os, palatum, oculos, fauces, & aures sine gravi damno profluit, leve enim est has partes ex destillatione affici, dummodo nec longa, nec acris sit, nec ullo quovis modo eas ulcerando

(a) Gorter *Comm. in li. 7. Aphor. Hipp sent. 38. & in li. 7. sent. 51.*

(b) Vide Gorr. *verbo* Ῥέυμα, *pag.* 550. *& verbo* Κατάρρις, *pag.* 299. *&* Ballon. *Definit. Medic. verbo* Ῥευματικη διαδεσις, *tom.* 1. *p.* 244.

do aut corrumpendo inficiat. Quod si easdem particulas urendo, inflammando, aut putredines inducendo laedat, malignus tunc est, & *ferinus* à Medicis dicitur ob similitudinem cum feris omnia citò devastantibus. Ad hanc classem pertinet *catarrhus praefocans*, seu ut communiter dicitur, *suffocativus*, qui modò celeriter, interdum morborum acutorum termino, difficili respiratione aegrum in summum discrimen adducit. Quid sit catarrhus recens nemo nescit, cum nullus mortalium sub variis temporum injuriis huic malo aliquando non subjaceat: at catarrhus in habitu tunc adesse dicitur, cum nullo negotio quis in hunc morbum delabitur, cerebrumque ei producendo ita pronum est, ut levi quacumque causa destillationem patiatur. Homines hac mali specie affectos non incongruè *catarrhosos* licet appellare. Catarrhus symptoma est in excrementorum retentione. Pars in eo praecipuè affecta est caput; quae secundariò seu per consensum pati possunt, sunt omnes ferè corporis particulae, ita ut pleuritis, peripneumonia, angina, phthisis, empiema, diarrhea, dysenteria, morbi articulorum arthritis, podagra, lumbago, aliique similes à destillatione interdum oriantur. Certe solet caput vitium catarrhosum suscipere à ventriculo, pulmonibus, hepate, utero, aliisque partibus vitiatis aut corruptis, quod probè notandum, ut in quibusvis destillationibus primum earum fontem investigemus. Neque internae tantùm capitis partes catarrhum procreant, sed & externae. Hinc optimè advertit Fernelius, faciei aliarumve partium exteriorum dolores & affectiones saepè ex destillatione humorum ab externis capitis partibus orta procedere (a). Morbus hujus symptomatis generator saepè est intemperies, modò organi vitium. Calor agitando, frigus constringendo, humiditas replendo, siccitas trahendo, catarrhum frequentissimè inducunt. Nimia humorum in cerebro quantitas sicut alios morbos pro subjectorum varietate, ita catarrhum inferre solet. Ipsa cerebri substantia debilis: ataxia spirituum: nutritio imperfecta crudos creant in capite humores, quos natura valida excernere solet: laxa item cerebri, totiusque ca-

(a) Fernel. *de Part. morb. & sympt. lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 260.

capitis constitutio vaporum humorumque copiam facilè admittens nec ita facilè dissipans, ad catarrhos generandos plurimum conferunt. Denique malignè intemperata cerebri moles, ejusque, occulta & ineffabili vi, temperies corrupta pessimi catarrhi, ferinaeque destillationis fons esse solet. Ita videmus quibusdam annis epidemicè grassari catarrhos subitò in hominibus sanis pessima mala inducentes.

Causae occasionales plethora, obstructio, diathesis, si unquam alias, certè hic maximum locum habent. Copia sanguinis in cerebro multa mala producere potest, sed catarrhis efficiendis opportuna est, cum viribus validis natura noxios humores per emunctoria expellere nititur, quod fit cum viae expeditae, humores fluxiles, & vis vitae simul ad idem opus conspirant. Obstructio eodem modo occasionem praestat catarrhis, ea tamen lege, ut in hac vehementiores & deteriores sint quàm in plethora. Sed diathesis, ut in aliis morbis, sic in catarrho producendo praecipuam operam praestat. Sic fit, ut alii à nativitate, alii ob vivendi genus, ob intensiores meditationes, ob aetatum varietatem, locorum, imò & ob morborum reliquias, aliasve id genus causas, diathesim adquirant destillationibus producendis aptissimam. Inter causas efficientes catarrhorum potissima est aër. Constitutio australis diu durans destillationes creat, humiditatem superfluam cerebro communicando; sed longè frequentiores fiunt, dum constitutioni humidae aquilonaris & sicca supervenit. Nec qualitatibus tantùm sensibilibus destillationes inducit aër, sed vi etiam occulta interdum catarrhos epidemicos nunc benignos, nunc pessimi moris creare solet, ut satis in Illustrationibus ad Hippocratis Epidemica monstravimus (a). Diaeta etiam destillationibus efficiendis confert, si ea sumantur alimenta quae caput replent, si cruditates fiant, si insolationes, exercitia in locis frigidis, somnus ad Lunae radios, aut locis humidis, studia intensiora, vigiliae & lucubrationes caput immodicè calefaciant, refrigerent, aut alio quovis modo debile & impotens reddant. Animi pathemata suam hic symbolam con-

(a) *Sect.* 1. *text.* 7. *pag.* 17. Vide Sennert. *de Febrib. lib.* 4. *cap.* 17. *to.* 2. *p.* 842. *& sequent. & Pract. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 34. *pag.* 148.

conferunt, necessario enim comercio animae cum corpore id ita immutant, ut miras in ipso alterationes inducant. Profectò ex animi affectibus vehementioribus destillationes perniciosas subitò nasci, saepè in praxi observamus.

Catarrhum benignum, rem per se notissimam, describere velle, molestum: epidemicum & malignum depingere utile, sed nobis in hoc otia fecerunt Hoffmanus (a), & Casalius (b). At destillationis ferinae, & catarrhi suffocativi historiam adducere necessarium est. Ergo catarrhosos homines seu in catarrhum proclives haec comitantur. Caput debile est, humidum, spiritum ataxia laborans: color faciei subalbidus: palpebrae subinflatae: oculorum caligo maximè post somnum: sternutamenta levissimis de causis: extremorum frigus: cruditas: hipocondriorum obstructio cum calore: transpiratio libera sed mutabilis: urina cruda, saepè turbida: salivae, muci narium, lachrymarum facilis proventus. Jam verò catarrho reipsa, seu ut in Scholis dicitur, in *actu* existente, per gravedinem, raucedinem, crudaeque materiae per oculos, nares, & os effluxum facilè cognoscitur; leveque est à capite destillationem in nares labi: pejus in fauces & in asperam arteriam: pessimum in pulmonem. Leve etiam est, humorem crudum in has partes effluentem benignum esse; at periculosum, eumdem tenuem, crudum, inflammatum, malignèque urentem, aut fauces, aut asperam arteriam, aut pulmones cum metu exulcerationis occupare; tunc enim ferinae destillationis vires exercet, quae si incrementum accipiat, fauces inflammat, rubore & dolore, velut in aphthis, internas oris & asperae arteriae partes corrumpit. Sub eo statu raucedo adest tenax: ciborum fastidium: sitis aut molesta, aut nulla: lassitudo cum difficili anhelitu: febricula horis praesertim nocturnis: corporis extenuatio: tussis inanis: & demùm tabes, quod vitium tunc maximè timeri debet, cum vetus destillatio corpus tenue, atque procerum tenet, aut quibus catarrhi vis sanguinem spuere facit. Catarrhus suffocativus nunc ad summum peracutus, nunc acutorum ter-

(a) Hoffm. *de Febrib. sect.* 1. *cap.* 10. *pag.* 75.

(b) Casal. *Histor. de Asturias*, *pagin.* 257.

terminos sequi solet. Omnia destillantis à capite humoris signa affert in oculis, naribus, faucibus, sed in eo praecipue elucet respirationis difficultas, quae modò celerrimè aegrum jugulat, modò inducias facere solet. Dum aegros adoritur asthmate, dispnoea, aut alia quavis affectione pulmones occupante, prehensos, brevissimus esse solet, summamque spirandi difficultatem inducit, summumque vitae discrimen. At in caeteris lentius procedere consuevit. Familiaris est vigentibus alternè constitutionibus australibus, & aquilonaribus: pueris & senibus magis quàm adultis: foeminis potius quàm viris: cachecticis quàm bono habitu praeditis. Ingruit, dum inducias dat, ut caeteri catarrhi cum affluxu humoris à capite in oculos, os, fauces, nares, aures, & asperam arteriam. Sub initiis rigor aut horror: febris acuta: spiratio subobscurè difficilis, raucedo cum tussi: pulsus inflati, subduri, inaequales: urina sanorum similis: lingua albescens: capitis gravitas: sudor molestus. Crescente morbo febris sub noctem magna habet incrementa, horis matutinis remittit: sputationes humidae, aquosae, crudae, saliva permixtae: dolor obtusus circa thoracem, nunc dextram, nunc sinistram partem occupans: somnus paucus, interruptus: inquieta jactatio. Eo autem ad summum vigorem accedente, spiratio difficilis anhelosa: stertor: situs erectus: capitis nutatio: delirium: quibusdam adstricta, aliis soluta alvus: urinae turbidae, crassae, subobscurè rubentes: pulsus inaequales, languidi: faciei, pedum, manuumque tumefactio aquosa: extrema frigida: virium prostratio: sputorum suppressio: mors. Solvitur hic morbus sputaminibus concoctis: sudoribus: urinis copiosis: alvi excretionibus serosis: quae omnia si cum coctionis signis appareant, qualia in Pathologia proponimus (Pathol. 24.), certam salutem promittunt.

Catarrhum benignum natura ipsa nullo artis auxilio adhibito curat, ac nisi error committatur, facilè solvitur. Minimè laudamus eorum hominum methodum, qui pro tussi & catarrho debellandis, lac assumunt sub noctem hora somni, quoniam hebetes eos, ac capitis morbis proclives reddidisse novimus, seu quòd catarrhi materiam crudiorem efficiat, seu quòd simùl cum somno viscera nimiùm refrigerando, nativum calidum extinguat. Emulsio ex amygdalis

dulcibus parata, addito syrupo violarum: aut hordei cremor hora somni minus nocent quàm lac, imò interdum nimio vigente calore prosunt, sed incoenato aegro assumenda, aliàs noxia sunt. In omni catarrho minuenda sunt alimenta, atque quidquam detrahendum tum cibi, cum potus ab eo, quod pro consuetudine est. Vinum in hoc morbo nocet, nisi senex aeger sit, in ea enim aetate sub catarrho frigido syrupus è vino & saccharo conflatus mirè quandoque prodest. Abstinendum ergo à nimio aquae potu, exercitiis, insolationibus, sudoribus calorificis, Lunae radiis, matutino, & nocturno frigore. In catarrho ferino videndum, num sit febris: quae si fuerit acuta, ea methodo tractanda, quae inflammationibus sanandis accommodata est, addendo insuper ea artis auxilia, quae fluxioni sedandae, & humori corrigendo congruere videantur. Si autem fuerit longa, ut saepè fit, cavendum à venae sectionibus, purgationibus, aliisque id genus remediis, quae aut vires minuunt, aut acres humores exasperant. Sub hoc statu, pediluvia, capitis perfusiones, fonticulorum usus, ulcerum apertio per vesicantia, maximam opem ferunt. Sunt etiam ex usu juscula ex viperis recentibus, cancris, ranis, pullo gallinaceo, additis herbis refrigerantibus ut taraxaco, cichorio, & similibus, conflata. Sed nihil aequè his destillationibus confert quàm loca mutare, & peregrinando ad longinqua jactari. Pillulae de cinoglosso, de stirace, de mirrha, ex incrassantibus medicamentis opio mixtis compositae, non sunt indiscriminatim exhibendae, sed hac lege: si destillatio antiqua fuerit, vel etiam si recens, ex affectione capitis proveniat humoris acris generatrice, ab iis remediis cavendum, tùm maximè, cum in gutture aut pulmonibus humoris detenti copia adfuerit, etenim incrassando, detinendo fluxum, tàm longè abest, ut proficiant, quin potius capitis, & pectoris morbos inducant, aut promoveant. Si verò destillatio recens sit, neque in capite aut pectore vitium detur permanens, tunc tuto sub modica dosi praescribi possunt, forte cum patientis levamine. Id omni cura incumbendum, ut morbosam capitis, viscerumque affectionem corrigamus, nisi enim ita fiat, continua pravi humoris generatio continuam efficiet destillationem. Qui ergo per fideles observationes causas occasionales & efficientes examinet,

in-

indeque in cognitionem veniat vitii praeternaturalis caput & viscera occupantis, ac destillationem foventis, is certè ad ejus curationem remedia accomodata intelliget.

Catarrhus suffucativus si acutissimus sit, quod ex subita vehementissimaque respirationis laesione dignoscitur, omnia artis molimina exposcit, nisi enim promptè succurratur, celeriter necat. Ergo ingruente hoc catarrho statim vena brachii est aperienda, neque tamen multum sanguinis extrahendum, cum morbus hic vires citò dissolvat, sed ita agendum, ut ex intervallis, vulgò *à pausas*, sanguinis moderata copia educatur. Interim nulla interjecta mora, cucurbitulae in variis corporis partibus applicandae, frictiones, pediluvia, caustica. Oleum seminis lini recenter extractum, ad uncias duas exhibitum, prodest. Oxymel simplex, interdum scilliticum, ex aqua hederae terrestris utile est. Laudat Nenterus in hoc morbo radicem Asari. Junckerus, *sulphur auratum antimonii* ad grana sex mirificè & puncto ferè temporis catarrhum hunc suspendere, observatione propria affirmat (a): Sunt Autores isti non contemnendi, de catarrho suffocativo uterque satis rectè scripsit: sed quae hic affirmant, ulteriori observatione confirmari debere, jure censemus. Si verò ad acutos morbos tum pernicie, cum celerirate accedat catarrhus praefocans cum febre, ut fieri solet, conjunctus, cautè procedendum in venae sectione, nec nisi in plethora cum phlogosi exercenda; catharrhi enim omnis conditio est, ut materia cruda à reliquis humoribus disgregata sub initiis eum excitet, quae & cruditate & disgregatione sanguinis missionem dehortatur. Igitur omni opera incumbendum ut humor crudus concoquatur, & disgregatus excernatur à corpore, quae duae sunt indicationes in omni destillatione sequendae. Jam verò cum in humore crudo redundet humiditas aquae nunc acris, nunc maligna, quae per octionem in glutinosam, benignam, naturae familiarem convertatur, consequens est, ut ea medicamina hic locum habeant, quae acrimoniam corrigendo, naturae vim concoquentem pro-

 mo-

(a) Nenter. *Fundament. Medic. tab.* 80. *pag.* 152. Junck. *Conspect. Medic. tab.* 118. *pag.* 913.

moveant. Decoctum ex radicibus altheae, symphiti, additis hordeo, scabiosa, jujubis, & syrupo tussilaginis, lege artis paratum, saepè juvat. Vesicantium ex cantharidibus usus in cruribus, si umquam alias, hic locum habet. Sed cum non satis sit humorem concoqui, sed & oporteat ipsum disgregatum à corpore expelli, simul ea remedia consulenda, quae per anacaltharsim expurgant. Oleum amygdalarum dulcium in jusculis: syrupus haederae terrestris: sperma ceti: oxymel simplex: aliaque benè multa, quae in Pharmacopoeis hodiernis prostant, pro re nata, ad usum accipi possunt. Curandum tamen quammaximè, ne multitudine remediorum aeger opprimatur: neque credendum in propositis medicamentis, etsi utilia esse posse non inficiemur, magnam inesse virtutem, quin potius tenendum, naturam his moderatè auxiliis adjutam opus curationis perficere. Sudores in catarrho suffocante calidis medicamentis provocare noxium est, quod & de urinis est intelligendum. Clysteres tamen in eo morbo profuisse experientia compertum. Igitur si aeger diem decimum quartum pertranseat, ac febris incrementa nocturnis horis ipsum molestent, tutò ad corticem peruvianum seu per os, seu per clysteres praescribendum, accedere licet, saepe enim ad id necessitas cogit, & nisi febris impetus sedetur, non cessat destillatio.

APHORISMI.

I.

Si hyems australis, pluviosa & tranquilla sit, ver autem siccum & aquilonium...... Senioribus fiunt catarrhi celeriter perimentes (a).

In libro *de Aere, aquis, & locis*, unde haec sententia transcripta est, addit Hippocrates, sub ea temporum constitutione senes non modò fluxionibus à capite in pulmonem tentari, sed & paralysi dextrae aut sinistrae partis (b), quod tunc

(a) Hippo. *lib.* 3. *Aphor. sent.* 12.

(b) Hippocr. *de Aer. aq. & loc. text.* 26.

tunc maximè contingit cum capitis dolores, vertigines, aut similia mala praecesserint (a). "Hos autem morbos (inquit ,,Gorterus) in valdè senibus praevenire vix valet ars medi- ,,ca, cum senibus novas addere vires nesciat Medicina. Vi- ,,num malvaticum, styrax, Benzoin, Balsamus peruvianus, & ,,similia nervina calefacientia sunt praecipua, hyemali tem- ,,pore propinata, antequam vernale frigus & siccitas ingruat." (b) Sed praeservatio senum à catarrho praefocante per haec medicamina satis dubia & incerta est, cum calida & fortia remedia viderimus in praxi catarrhos advehere. Satius ergo erit sobriè vivere, externasque aëris injurias vitare, transpirationis curam habere maximam, ut senes catarrhos brevi perimentes praecaveant.

II.

Raucedines, & gravedines in valdè senibus coctionem non admittunt (c).

Si senum constitutio valida sit, & spiritalium partium amplitudine & energia gaudeant, dummdo diaeta sobria subsit, poterit catarrhus coctionem admittere. "Hinc hyssopo ,,(ait Gorterus) vino malvatico, hydromele vinoso, gingi- ,,bere, aliisque calefacientibus, in senibus curantur illa phleg- ,,mata, quae in alia aetate minus valent (d)." Non inficiamur, vinum (Galeno monente) maximum esse adversus crassos in pectore contentos humores praesidium (e), sed calida medicamenta proposita approbare non possumus, cum viderimus eorum usu continuo peripneumoniam creari. "Lepidè quidem ,,& acutè respondit olim Alberto Savanarolae hunc Aphoris- ,,mum objicienti, Leonicenus, cum ferè centenarius raucedi- ,,ne laboraret, *eum non fuisse pro Medicis scriptum*, indicans, ,,prudentem, temperantemque hominem posse infaustum apho- ,,rismi omen cavere, & à raucitate liberari (f). Ex vero (in quit Martianus) nihil nocentius in destillationibus adhiberi po- ,,test,

(d) Hippocr. *lib.* 1. *Epidem. sect.* 2. *text.* 20.

(b) Gorter. *Comm. in Aphor. Hipp. lib.* 3. *sent.* 12. *pag.* 155.

(c) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. sent.* 40.

(d) Gorter. *Comm en Aphor. Hip. lib.* 2. *sent.* 40. *pag.* 110.

(e) Gal. *de Attenuat. vict. rat c.* 12.

(f) Tozz. *Comme. in Aphor. Hipp. lib.* 2. *sent.* 40. *pag.* 119.

„test, quam ea quae humores attenuare simpliciter possunt: „quod notare vellem recentiores, qui in frigidis destillatio„nibus ad Guajaci, & aliorum attennuatium medicamentorum „decoctum, tàm libenter confugiunt, non animadvertentes ex „horum usu destillationes in dies augeri, quas concoquenti„bus, & mediocriter incrassantibus curandas esse docet Hip„pocrates (a)."

III.

Destillationes in ventrem superiorem intra viginti dies suppurantur (b).

Solemne fuit Hippocrati pituitae coctionem, qua albedinem, lentorem, crassitiem puri similem adquirit, suppurationem appellare; unde in hac sententia non de vera puris generatione, sed de pituitae coctione est intelligendus (c). Docemur utique, destillationes in pectoris cavitatem non alterare improvidis medicamentis, sed blandis concoquentibus, liquiritia, althaea, symphito, aliisque superius propositis maturare; sic enim fit, ut juniora validioraque corpora ante viginti dies destillationes concoquant, ut deinceps humorem coctum expellant seu per sputationes, urinas, sudores, seu per alias vias à natura receptas. Quod si destillatio ferina seu maligna fuerit, lactis usus matutinis horis, syrupus violarum, emulsio ex amygdalis, pillulae superius memoratae, juscula ex cancris cum pullo gallinaceo, idque genus alia, sine mora adhibita, coctionem promovent. Apposite Galenus: "destillationes (inquit) à capite in pulmonem defluentes, „tùm demùm esse malignas existimandum est, cum ea quae „defluunt tenuia sint, facultatibusque corrodentibus praedita. „Haec autem neque contineri in pulmone tamdiu debent quoad „concocta crassa reddantur, ut caeterae defluxiones tenues „sed non corrodentes & difficiles ad concoquendum, neque „statim expelli.... quare verum est, sive in pulmone per„ma-

(a) Martian. *Comm. in l. 2. Epid. Hipp. sect. 6. vers.* 14. *pag.* 317.

(b) Hippocr. *lib. 2. Aphor. sent.* 38.

(c) Vide Foes. *OEconom. verb.* *πυον*, *pag.* 544. Tozz. *Comm. in lib. 7. Aphor. Hippocr. sent.* 38. Gorter. *Comment. in l. 7. Aphorism, Hippocrat. sent.* 38.

»maneant hi humores, sive evacuentur, noxam sequi (a).»

IV.

Catarrhus cum febre conjunctus non ante sistetur quàm febris quieverit (b).

Catarrhum benignum febris lenis breviat, malignum exasperat. In praefocante catarrho si febris post diem decimumquartum incrementa vehementiora sub noctem retineat, cortice kinae coercenda est; sin minus dummodo ipsa permaneat, & catarrhus durabit.

V.

In fluxionibus à capite confert cibi parcitas, praesertim vesperi, panis sicci esus, declinatio nocturni aeris, & radiorum Lunae, potus paucus praesertim materia existente cruda (c).

Errant qui catarrhos, tusses, destillationes, haustibus refrigerantibus ex succo limonum, lacte, aqua frigida confertim exhibitis, curare intendunt, cum in omni catarrho modicè exsiccare, roborare, & concoquere opportunum sit, omniaque frigida pectori sint inimica. Optimè Celsus "si »humor in fauces destillavit, demenda assueto cibo pars di»midia, sumenda ova, amylum, similiaque quae pituitam »faciunt crassiorem, siti, quanta maxima sustineri potest, »pugnandum est ..... Sed si manserit idem incommodum, »utendum erit cibis frigidis, aridis, levibus, humore quam »minimo, servatis frictionibus, exercitationibusque, quae in »omni tali genere valetudinis necessariae sunt (d)." Mente perpetuo revolvendum, eos qui largiore potu utuntur, difficultatem respirationis experiri (e).

VI.

Non ita promptè ut apoplexia, & paralysis, catarrhus suffocativus recurrit (f).

Des-

(a) Galen. *Comm.* 3. *in lib.* 6. *Epid. Hipp. text.* 18.

(b) Duret. *in Holler. lib.* 1. *de Morb. inter. cap.* 18. *pag.* 132.

(c) Holler. *de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 18. *in Schol. pag.* 129.

(d) Cels. *de Medic. lib.* 5. *cap.* 2. *pag.* 192.

(e) Hippocr. *lib.* 2. *Praedict. numer.* 8.

(f) Juncket. *Conspect. Med. tab.* 118. *pag.* 913.

Destillationes omnes per certas annorum tempestates recurrunt, sed omnium maximè catarrhus suffocativus. Carolus Piso, Scriptor nocturna diurnaque manu versandus, agit de asthmate intermittente, quod à capitis effluxionibus per certa intervalla saepius provenire pronuntiat. Ego multoties id in praxi vidisse memini, & mecum tacitus reputavi, quod sub asthmatis intermittentis nomine Piso describit, catarrhum esse suffocativum per periodos recurrentem (a). Solent aegri transacta accessione, qua suffocari videntur, multas sputationes materiae crudae rejicere, quo pacto ad consueta negotia transeunt, ut ferè integra valetudine frui videantur. Sed insperato de novo accedit paroxismus praefocans usque adeò, ut neminem viderim, qui subita suffocatione, sub accessionis initio, tum demum non obierit. Si vita sobria, qualem observabat nobilis Venetus Cornarus, huic saevissimo morbo debellando par non est, nullum medicamen hactenùs cognitum sufficere credo.

VII.

Accidit catarrhus praecipuè post phlebotomiam plurimam... & rarò quidem acceleratur ad phlebotomiam (b).

Venae sectio in catarrho necessaria non est saepè noxia, cum humores refrigerando crudiorem eum reddat. Sennertus adducit catarrhos epidemicos, qui venae sectione aegros jugulabant (c). Excipe tamen imminens suffocationis periculum, quod parca manu factam permittit sanguinis evacuationem. "Ubi jam virium enervis lapsus (inquit Hoffmanus) morbus ex cacochymia ortus jam praesens est, catarrhosae affectiones complicantur, febresque ob aërem vapidum nebulosum malignae & putridae grassantur, planè à sanguinis missione abstinendum (d)." Id non omittendum veteres Graecos ad fluxiones ex capite coercendas arterias capitis secare consuevisse (e), quod remedium Prosper Alpinus

(a) Carol. Pis. *de Morb. à Colluv. seros. sect.* 3. *cap.* 4. *pag.* 212.

(b) Avicen. *lib.* 3. *fen.* 5. *tract.* 1. *cap.* 11. & 13. *pag.* 241.

(c) Sennert. *de Febr. li.* 4. *c.* 17. *pag.* 843.

(d) Hoffm. *de Febrib. sect.* 1. *cap.* 10. §. 11. *pag.* 79.

(e) Vide Paul. *li.* 6. *cap.* 4. & 5. *pag.* 267.

nus apud AEgyptios magno aegrotantium commodo vigere observat (a). Fateor, nunquam in mea praxi id tentavi, nec ab aliis tentatum vidi, sed ideo propono, ne forte ob ignorantiam utili quandoque remedio hominum societas careat. Videant Tirones attentèque legant quae hac de re eruditè, ut solet, pertractat Freindius (b), neque hoc medicamenti genus in usum provocent, nisi summa cogente necessitate, ac cum cautelis ab eo accuratè annotatis. Ex his quae hactenus de catarrho diximus, facilè quisque intelliget quantum à vero aberret Neotericus Scriptor celebratissimus, "dum, „veteres, ait, ea opinione occupati, omnes fere morbos fie„ri à destillatione seri ex capite, seu à catarrho omnem mor„bum qui subito aegrum suffocando enecaret, catarrhi suffo„cativi nomine salutabant. Insulsissima est sententia (prose„quitur) oriri catarrhum suffocativum ex illapsu seri, vel „lymphae, non dico à cerebro, quod absurdum est, sed ne „etiam à vasis pectori vicinis lymphaticis, &c. (c)." Sed hoc pronuntiatum certè non probabitur ab his, qui in veterum lectione sint satis exercitati, atque naturae opera non ex hypothesi, sed solidis, & accuratis observationibus inquisierint.

(a) Alpin. *de Medic. AEgyptior. l.* 2. *cap.* 11. & 12. *pa.* 133. & *seq.*

(b) *Histor. Medic. ann.* 1640. *pag.* 183. & *seq.*

(c) De Sauvages *Nosolog. method. classe* 5. *num.* 9. *pag.* 184.



LIBER SECUNDUS.

DE MORBIS PECTORIS.

CAPUT PRIMUM.

De Angina.

HIppocrates uno *Cynanches* vocabulo comprehendit omnia gutturis mala, quae respirationem laedunt (a). Posteriores Medici, ut varios mali gradus partesque laborantes indicarent, varia etiam nomina invenere, parum inter se discrepantia (b). Sed cum Galeno eam nomenclationem non magni faciendam esse existimo (c). Celsus Latinorum Princeps Anginam inter suos vocari ait (d). Est igitur Angina: *Morbus acutus gutturis, aut faucium cum sensu angustiae, deglutionis, aut spirationis difficultate conjunctus.* Affectio est ad morbos intemperiei, & organi vitiati referenda. Intemperies saepè manifesta utpote in inflammatione consistens, interdum occulta, speciali modo laedens, esse consuevit. At seu inflammatio adsit, seu vertebrae luxatio, morbum organi adesse necesse est. Partes affectae sunt guttur, & fauces. Per guttur intelligimus principium tracheae arteriae, quod à Graecis *larinx* dicitur (Physiol. n. 33.): per fauces, internum oris hiatum, sub quo initium tracheae, & aessophagi conveniunt. Dum verò partes istas acutus morbus

(a) Vide Foes *OEconom. verb.* Κυναγχη *pag.* 363. *& seq.*

(b) *Cynanche, paracynanche*: *Synanche, parasynanche.* Vide Paul. *lib.* 3. *cap.* 27. *pag.* 129.

(c) Gal. *Comm.* 3. *in Hipp. prognost. text.* 18. *Vid. Illustr. nost. ad Hipp. prognost. sect.* 3. *text.* 16. *pag.* 24[illegible].

(d) Cels. *de Medic. lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 196.

bus cum angustiae sensu, spirandi, aut deglutiendi difficultate occupat, *angina* laborare dicuntur, ita tamen ut respiratio vitiata non à pulmonum, pleurae, diaphragmatis, aliarumque thoracis partium morbis, sed ab affectione laringis seu gutturis in angina proveniat. Symbolam hic conferre possunt viscera, maximè caput, cum per destillationem angina fieri aut foveri soleat. Angina alia est exquisita, alia notha. Prima est, quae guttur occupat, & subtili maligna, acri, sensibus minime percepta causa, cito vehementerque laedit, ut interdum uno aut altero die hominem jugulet. Secunda est, quae fauces vitiat, modò humore inflammato subtili & acri: modò crasso, tenaci, & corruptionem inducente. Haec angina esse potest benigna, & maligna. Illa est, cujus vis in rebus sensibilibus praecipuè consistit, ut cum inflammatio, erysipelas, calor, aut frigus hunc morbum creant: haec fit ab occulta vi partibus laborantibus infensissima, nullaque sensibili specie investiganda (a). Has differentias, Hippocratis doctrinae conformes (b), in promptu habeant Tirones, & dum aegris assideant, gutturis aut faucium morbo affectis, sedulò inquirant, ubinam affectio resideat, quas partes occupet, quisnam sit laedendi modus, num malum sensibus sit manifestum, an denique respiratio potius quam deglutitio difficilis sit, ita namque & praesagire, & aegrotantibus succurrere poterunt. Differentias anginae quae sumuntur ab humoribus, & symptomatibus, ut aquosam, catarrhosam, schirrosam, gangrenosam, convulsivam, aliasque similes hic omittimus, tum quia ex his aliae ad chronicos morbos pertinent, tum quia effectus anginae potiusquam morbum ipsum magna ex parte attingunt, & quod caput est, ad anginam non tam propriè pertinent, quae perpetuò acuta affectio est, quam ad alias colli, oris, partiumque adjacentium aegritudines, cum à Medicis, tum praecipuè à Chirurgicis Scriptoribus enodatas.

Occasionales causae plethora, & obstructio ad anginam

 pro-

(a) *Vide Patholog. nostr. prop.* 3. *num.* 16.

(b) Vide Hipp. *lib.* 2. *de Morb. sect.* 2. *vers.* 97. *&* 4. *acutor v.* 79. Martian *Comm. in lib.* 2. *de Morb. sent.* 97. *pag.* 170.

producendam plurimùm conferunt, tum replendo vasa, tum vias affectarum partium occludendo; ipsae tamen per se non omnino morbum inducunt, nisi propria accedat diathesis, qua fit ut praedictae partes sic vitientur, ut actiones sibi proprias respirandi, & deglutiendi minimè, nec nisi summo labore, peragere queant. Videmus utique quosdam homines huic affectioni ita pronos, ut nullum fermè annum sine ea transigant, imò & pluries intra annum angina corripi quibusdam contingit. Diathesis huic morbo fovendo propria ex genere inflammationum est, ita tamen ut non communibus inflammati humoris vitiis coerceatur, sed saepè speciali & ineffabili modo gutturis aut faucium humor inflammationem concipiat. Hinc fit, ut nullo apparente tumore in faucibus, neque in externis partibus, ob calidam acrem siccissimamque gutturis phlogosim saevissima angina cito interficiat (a). Fieri etiam solet, ut inflammatio faucium sensibus percepta modo juxta communes inflammationum leges cursum suum peragat, modò in putredinem, & gangrenam facillimè transeat: quae omnia diversae humoris vitiati diathesi, sola observatione comprehensibili, prorsus sunt tribuenda. Inter causas efficientes jure primum sibi vendicat locum aër, cum vi manifesta, tum maximè occulta & speciali hunc morbum producens. In temporibus pluviosis, itemque vere & autumno anginas fieri ob sensibiles aëris qualitates, ex Hippocrate discimus (b). At constitutiones quasdam epidemicas hanc affectionem ineffabili vi inducere, constanti fidelique plurium annorum observatione novimus (c). Diaeta ad anginam generandam plurimum facit. Cibi potusque copia replendo, crassitie obstruendo, acrimonia irritando, hunc morbum saepè creat. Exercitia violenta: subita post magnum aestum refrigeratio: haustus copiosus: potus frigidissimi: lotio capitis intempestiva pleno corpore: nimium capitis tegumentum, vel nul-

(a) *Vide Pathol. nostr. prop.* 2. *num.* 10. *& prop.* 8. *num.* 36. *circa finem.*

(b) Hippocr. *lib.* 3. *Aphor. sent.* 16. 20. *&* 22.

(c) *Vide Constitut. ab Hipp. descrip. lib.* 6. *Epidem. sect.* 7. *Vide etiam Tozz. Comment. in lib.* 3. *Aphorism. Hippocra. sent.* 19. *pag.* 39. *& sent.* 26. *pag.* 59. *& Comm. in lib.* 4. *sent.* 34. *pag.* 110.

nullum: vocis nimia intentio anginam facilè generant. Hùc referuntur ictus capitis, partiumque prope fauces: infixae in faucibus spinae, aut particula: vertebrarum cervicis luxatio: ea enim omnia anginae producendae sunt aptissima. Sunt qui quosdam cibos, vi propria faucibus & gutturi infensa, hunc morbum gignere credant (a), sed ulteriori observatione id indigere cognoscimus. Post animi pathemata, iram praesertim & excandescentiam nimiam, anginas vehementissimas nasci posse, nemo non intelligit.

Angina affectio est viris potius, quám mulieribus, juvenibus magis quàm pueris & senibus familiaris. Fermè repentè ingruit: frigus aut horror corpus sub ingressu concutit: febris sequitur acuta, nec tamen ad tactum ardentissima: sitis pauca, aut nulla: frigidi aëris cupida attractio: angustiae sensus in faucibus cum asperitate: deglutiendi in quibusdam, in aliis respirandi difficultas: aut in utraque actione labor: lingua albescens, non sicca: dolor aut molestia inter respirandum, aut deglutiendum: difficilis motus colli & gutturis. Haec tum exquisitae anginae communia sunt, tum non exquisitae. Ergo vera & exquisita angina, quae non tàm ab humida, quàm urente & sicca phlogosi nascitur, interiusque in gutture latet, febrem non ardentem, at acutissimam secum vehit. Comitantur collapsio virium, gracilitas colli cum extensione inflexibili: pallor: spirandi summa difficultas ut non nisi erecta cervice spiritus trahi possit: oculi cavi, interius demersi: fauces & gurgulio sine inflammatione retracti: tonsillae subsidentes: vocis ferè privatio: color plumbeus: sensuum hebetudo: pulsus vacui, inflati, debiles. Crescente morbo, praeter eadem omnia, aeger inquietus est, crebro è cubili exiliens: ac mente integra atque sensu, prae suffocatione non intelligit quid audiat, quid dicat, aut gerat: tandem strangulatu, atque syncope oppressus celerrima morte perit. Salutem nihilominus promittit rubor, tumorque quammaximè foris in collo & pectore apparens, tum namque extra ferri morbum sciendum est. In angina notha sed benigna, praeter omnia anginae communia

(a) Vide Sennert. *Pract. lib. 2. part. 1. cap. 24. pag. 279.*

nia, adest tonsillarum, faucium, totius oris inflammatio: lingua extra dentes & labia prominens: deglutio difficilis cum dolore, ut sub magno malo potus in nares remeet: pectoris calor: salivae fluor: sicca tensio sensibus manifesta in partibus oris: febris acuta parum mordens: pulsus celer, densus: pauca sitis. Crescente morbo, tumor ingens colli, atque vultus cum salivae crassae & viscidae fluore: deglutio summè impedita: quibusdam spiritus difficile trahitur: jacendi impotentia: sedendi cupiditas: loquutio confusa ferè non articulata, atque cum dolore. Quod si aeger in exitium tendat, vultus livet: guttur stridet: pulsus & vox deficiunt: corpus friget: quibusdam quasi caninae vocis sonitu, aut oris spumatione mors sequitur. Bonum autem est angina correptum salivam liberè expellere, itemque sputamina facilè educere. Bonus etiam est sudor mollis, calidus, modicus, continuus in toto corpore. Prodest utique facilis spiratio, facilisque potionis deglutio, quies, somnus, doloris levamentum: quibus si accedat cervicis & pectoris rubor ob malum ad exteriora vergens, certa salus speranda est. Jam verò eadem angina exterius sese prodens sed maligna, etsi plurima deferat ex jam relatis phoenomena, id peculiare habet ut simul cum faucium, tonsillarum, palati, partiumque adjacentium inflammatione, ulcus in his celeriter appareat, nunc primo morbi die, nunc secundo, quibusdam tertio, aut quarto, cum gravissimis symptomatibus. Igitur tale ulcus in internis oris partibus sese manifestans humòre primum albo, dein livido, aut nigro sordet, ut crustam efformet, quam Graeci *Escharam* vocant. Id interius depascendo serpit, omnesque faucium & gutturis partes infestat, imò, & in tracheam atque pulmones virus suum extendit. Interea foetor intolerabilis exhalat, febris modò continua, modò intermittentis speciem referens, interdum oculta usqueadeò, ut sine febre esse aegri videantur: sitis intensa, potum tamen ob dolorem non admittunt: decumbentes surgunt ut sedeant, sedentes iterum decumbere coguntur: nec desunt qui recti stantes obambulant, eaque omnia inquietudine, & anxietate summa vexati efficiunt: vox rauca nihil ferè significans: atque in terram collapsi, aut vehementissima syncope prehensi, subito moriuntur. Angina maligna pueros magis quàm ju-

juvenes affligit, atque australes venti constitutiones pluviosae diù regnantes eam maximè fovent. In nostra Hispania frequens est haec angina ulcerosa, quae *garrotillo* lingua vernacula appellatur, quamquam vocabulum hoc hodie ad omnes anginae species transferri soleat. Silentio non praetereundum, Medicos, quos Regio nostra habuit semper sapientissimos, & ad veram praxim natos, de hoc morbo *garrotillo* doctè & accuratissimè tractasse. Fontecha, Gomezius de la Parra, Villareal, Herrera, Soto, Heredia, aliique benè multi, volumina integra aut tractatus de hac angina conscripsere, lectu dignissima, & ad hujus saevissimi mali indolem agnoscendam longè praestantissima. Nec Hispaniam tantum haec lues infestat, sed & AEgyptum, testante Areteo (a), imò in Gallia nostris temporibus observatam esse, constat ex disputationibus pathologicis ab Hallero editis, ubi de hac anginae specie tamquam ibi commorante fit sermo (b). Nihilominus eam tetigisse potius quam descripsisse visus est Franciscus de Sauvages (c). Angina, quaecumque ea fuerit, morbus est celer, ita tamen ut latens in gutture, quam primo descripsimus, ad summum quatuor diebus cursum suum finiat: quae ulcere maligno conjuncta est, septem: quae demum benigna, quatuordecim; atque in transitu notandum, benignam anginam esse periculosam, nihil enim vetat benignam esse ac discrimine plenam (Pathol. num. 16.) non tamen ut caeterae aeque lethalem.

Angina omnis pro curatione, ex communi Medicorum sensu, postulat venae sectionem ex brachio (nisi quid speciale ex pede instituendam suadeat) & quidem liberalem; sed prudentiores magna hic cautela procedunt, quippe dum ea latet in gutture, aut manifesta fit in faucibus cum ulcere maligno, parcè admodum, aut nullo modo sanguinem extrahendum consulunt, probè scientes in hoc morbo vires cito collabi, aegrosque facillimè deficere. Diaeta tenuis esto, modicè refrigerans, & reficiens. Medicamenta valida humo-

(a) Aret. *de Caus. & sign. acut. morb. lib.* 2. *cap* 9 *pag.* 8.

(b) *Disp. Pathol. tom.* 1. *disput.* 36. *pag.* 568.

(c) Sauvag. *Nosolog. method. class.* 3. *tom.* 2. *pag.* 487.

mores agitantia prorsus fugienda. Ergo ex usu esse possunt decoctum hordei, liquiritiae, rosarum rubrarum, additis subinde syrupo granatorum, oxalidis, omphacii, aliisque hujusmodi: imò & acetum aqua simplici mixtum, & ex cochleari exhibitum prodesse solet. Sunt qui cucurbitam sub mento, aut cervici applicant, & factis scarificationibus sanguinem extrahunt, quod medicinae genus etsi crudele sit, saepe tamen juvisse constat. Crurum frictiones, lotiones pedum, clysteres, in hoc malo saepius iterare oportet. Sectionem venarum sub lingua laudant plurimi, quae licèt non omninò improbanda, nec facilè praescribenda, cum saepè molestiam sine fructu inducat (a). Longum foret, externa medicamenta ad anginam ab Auctoribus adducta proponere, cum nulla ferè sit affectio, cui tot tantaque *specifica*, ut ajunt, adaptentur (b). Sed ex his alia superstitiosa, alia incongrua, omnia ferè parvi usus esse confidenter asserimus. Cataplasma ex hirundinum nido, aut earum cinere cum melle paratum, tanquam à Galeno aliisque veteribus commendatum, proponimus (c), etsi praestantissimus practicus Pereda noster id rejiciat (d). Quod tamen ex lacte fit cum pane, ovorum vitellis, & croco immixtis, vulgoque *anodinum* vocatur, salutare esse consuevit. In angina maligna ulcerosa tinctura kinae fortis, beneque saturata, tum per os si fieri possit, tum per clysteres, ex levibus intervallis saepius exhibita, optimum remedium esse observatione novimus. Hoc anno quo scribimus in variis Hispaniae nostrae locis epidemicè grassatur hoc malum. Consulto Archiatrorum Senatu, ex ejus praescripto tincturam praedictam optimos habuisse successus, ex iis qui aegris assidebant, audivimus. Nec incongruum id est, cum lues haec, per autumnum incipiens, symptoma esse possit tertianae febris perniciosissimae, decubitum humoris maligni ex capite ad fauces excitantis. Cumque alias scia-

---

(a) Vide Juncker. *tab.* 30. *p.* 262.

(b) Vide Sennert. *Prax. part.* 1. *l.* 2. *cap.* 24. *pag.* 285. Nicol. Pison. *de Morb. cognosc. & curand. lib.* 2. *cap.* 3 *pag.* 317.

(c) Galen. *de Compos. medic. secun. loc. lib.* 6. *cap.* 2.

(d) Petr. Paul. Pered. *in Schol. ad Paschal. lib.* 1. *cap.* 24. *pag.* 99. Vide Cels. *lib.* 4. *cap.* 4.

sciamus kinam ad gangrenas praecavendas maximum esse praesidium, proinde anginae ulcerosae, in gangrenam nullo negotio transeuntis, accommodatum esse ex utroque capite remedium nulli dubitamus. Sed silentio minimè praetereundum remedium quod ad anginam ulcerosam adducit Sauvages his verbis. "Escharae crescunt invitis omnibus gargarismatis, ex-»cepto gargarismate D. Raulin. Dissolve salis saturni scru-»pulum in aquae plantaginis unciis duabus & ex lino carpto »tange escharas pluries in die, inde ulceris imminutio & »consolidatio (a)." Quid tamen de universo hoc dogmate sentiendum, ex ipso praxeos usu Tirones viderint. Magna utique lis inter veteres tum Graecos, tum Arabes exorta de purgatione in anginae initiis instituenda, cum alii prorsus, alii nullo modo, purgans medicamentum paescribendum censeant (b). Nec desunt qui emetica consulunt, & quod magis mireris, pillulas, in morbo deglutionem omnino impediente, quibusvis medicamentis praeferunt. Sed absurda sunt ea omnia, ex praeconcepta causae morbosae per purgantia ejectae opinione nascentia, cum febris in hoc malo vehemens & acuta, inflammatio, cruditas, & similium medicamentorum fucus, purgationem per cathartica prorsus dehortentur. Quod si morbus ad summam perniciem evectus celerem, inevitabilemque suffocationem minetur, alterum pro tam ingenti discrimine superest remedii genus non praetermittendum. Igitur sub eo casu tracheam incidere jubebat Asclepiades, atque foramini per incisionem facto adaptans canulam, respirationem jamjam deficientem restaurabat, ut hac arte inducias dante morbo, posset (c) aeger liberari. Siluit Galenus, nec verbum quidem de laryngotomia ubivis protulit. Siluit etiam Celsus, etsi operationes chirurgicas magni momenti aptissimè describat. Aurelianus eam fabulosam vocat. Aretaeus omninò, tamquam noxiam, rejicit. At Paulus AEgineta, quem ex recentioribus aliqui suppresso nomine transcribunt, tracheae incisionem ita accuratè describit, ut nihil

R in

(a) Sauvag. *Nosol. method. class.* 3. *pag.* 487.

(b) Vide Sennert. *Pract. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 24. *pag.* 282.

(c) Vide Cael. Aurel. *de Morb. acut. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 139.

in ea efficienda desiderari videatur. Arabes, qui Graecorum vestigia ubique ferè sequuti, laryngotomiam consulunt, non Albucasis modo, ut malè Freindius statuit (a), sed Avicenna etiam, apertissimèque eam depingit. Nostris temporibus, cum in Chirurgicis operationibus nihil intentatum maneat, de incidenda trachea in angina suffocationem minante tamquam de re facili nec periculosa agitur (b). Miratus saepè sum, Vanswietenium judicio & prudentia ubique conspicuum, in Chirurgorum partes tam facilè transiisse, ut tracheae incisionem absque vitae periculo fieri posse scribat (c). Hujus viri exemplum sequuti Chirurgi nostri, ad quaevis ardua artis opera molienda idonei, laryngotomiam ex se ipsa discrimine vacare absolutè pronuntiant (d). Sed vereor, ne horum hominum asserta adeò confidenter pronuntiata, aegris angina affectis sint periculosa; facilè enim fieri potest, ut juvenes inexperti tantorum virorum auctoritate suffulti, neque quidquam ex tracheae incisione timentes, eam inconsultò praescribant, indeque experimenta per mortes agant. Ego verò sic existimo, laryngotomiam non esse prorsus rejiciendam, sed utpote periculosissimam, raró, imò & rarissimè esse tentandam. Paucula experimenta, quibus constat incissam tracheam coaluisse, non sufficiunt ut eam sine periculo tentari credamus, cum nullum sit in corpore malum, quantumvis lethale, ex quo aliquis non evaserit. Accedit, quod in praecipiti casu, dum anceps experiri remedium praestat quam nullum, ita agendum, ut probabilis saltem conjectura medicamenti salubritatem spondeat, id enim ab officio Medici numquam sejungitur, *ut si in medendo non juvet, saltim ne noceat* (e). Jam verò in angina gutturis, dum nihil exterius apparet, minimè prodesse potest etiam in summo suffocationis discrimine arteriae asperae incisio, cum non à materie multitudine, sed

(a) Freind. *Histor. Medic. an.* 980. *pag.* 249.

(b) Vide Heister *Chirurg. part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 102. *pag.* 647.

(c) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 812. *tom.* 2. *pag.* 625.

(d) *Curso Theorico-Pract. de Operacion. de Cirug. part.* 2. *cap.* 14. *pag.* 367.

(e) *Vide Illustr. nostr. ad Hipp. Epid. sect.* 2. *text.* 18. *pag.* 92.

sed potius malignitate vim partis extinguente mors immineat. In ea vero anginae specie, quae fauces cum ulcere, carbunculi instar, maligno occupat, tracheam incidere aegrum jugulare est. Superest igitur, ut in ea tantùm angina ex usu esse possit laryngotomia, quae ex inflammatione gutturis supremas partes occupante, easque supra modum infarciente, procedit. At sub hoc casu nisi summa & extrema urgeat necessitas minime incissio est suadenda. Neque Chirurgis tantùm necessitatis cognitio est relinquenda, sed Medicus omni animi intentione in id incumbere debet. Auctores ipsi, qui hanc operationem consulunt, suas hic apponunt cautelas, ne temerè exerceatur. Ergo si morbus in gangrenam vergat, aeger debilis sit, aut malum nulla artis vi superabile, minimè tracheae sectio instituenda; quod si medicamenta ritè praescripta nihil auxilii attulerint, ita tamen ut non id ex morbi malitia omnia respuente, sed ex obstructione laryngem occludente proveniat: si spes est ex incisione, inducias dante morbo, naturam esse juvandam: neque aliud quodvis in arte hactenus cognitum remedium creditur prodesse posse: iis igitur omnibus ritè pensitatis, maturèque perspectis, in summo & inevitabili exitio, validis adhuc viribus, laryngotomia consulenda videtur.

APHORISMI.

I.

Ab angina detento tumorem fieri in collo bonum: foras enim morbus vertitur (a).

II.

Ab angina detento tumor, & rubor in pectore superveniens bonum: foras enim vertitur morbus (b).

Angina quae nihil conspicuum facit in faucibus & cervice, magnumque simul dolorem & spirandi difficultatem infert mortifera est (c); at ea quae tumorem in collo, aut ruborem cum tumore in pectore inducit, securior nisi exter-

 nus

(a) Hippocr. *lib.* 6. *Aphor. sentent.* 37.

(b) Hippocrat. *lib.* 7. *Aphorism. sentent.* 49.

(c) Hppocrat. *Prognost. sect.* 3. *text.* 16.

nus rubor ad interiora convertatur, tum enim celerrimè necat (a) "Sed advertendum, inquit Tozzius, tunc bonum signum esse tumorem in collo apparentem, cum affluxus humor anginam faciens partes internas gutturis & faucium deseruerit, secus verò si adhuc easdem occupet (b)."

III.

Quibus anginam effugientibus ad pulmonem vertitur, in septem diebus moriuntur; si verò hos effugerint, suppurati fiunt (c).

"In gutture & gurgulione (inquit Actuarius) ac glandulis linguae adherentibus primum humor firmatur, & nonnumquam affectus anginosos excitat, licèt postea in pulmonem decumbat: atque hi perrarò evadunt, quòd morbi acumen concoctionis tempus antevertat (d)." Angina, faucibus & gutture relictis, & metastasi in pulmonem conversa, duplici via solvi potest, scilicet copiosa pituitae excretione ut dicitur in Coacis (e), aut ejusdem humoris concoctione & expulsione; id enim significat *suppuratio* in hoc aphorismo, non empiematis veri generationem, cum solemne fuerit Hippocrati non puris modò productionem, sed & humorum crassorum concoctionem diuturnam *suppurationis* nomine exprimere (f).

IV.

Si à febre detento suffocatio ex improviso superveniat tumore in faucibus non existente, lethale (g).

Rectè monet Galenus pulmoniam, abcessus thoracis, asperae arteriae inflammationem, suffocationem ab initiis comitari; at subitam supervenire strangulationem solius gutturis proprium esse, mortemque inevitabilem inducere (h). Neque hic perpetuò accusanda est inflammatio per metastasim in

(a) Hippocrat. *Prognost. sect.* 3. *text.* 18.

(b) Tozz. *Comm. in lib.* 6. *Aphor. Hipp. sent.* 37. *pag.* 170.

(c) Hippocrat. *lib.* 5. *Aphor. sentent.* 10.

(d) Actuar. *Method. medend. lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 157.

(e) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 15. *sent.* 6. *pag.* 223.

(f) Vide Foes. *OEcon. verb.* *πυον.*

(g) Hippocrat. 4. *Aphor. sent.* 34.

(h) Galen. *Comm. in sect.* 4. *Aphor. Hipp. text.* 34.

in febre generata, quia saepè convulsio cum resolutione gutturis eam tragoediam subito parit, quam inevitabilis calidi innati ejus partis extinctio sequitur.

V.

Si à febre detento collum pervertitur, & vix deglutire potest sine ullo tumore, lethale (a).

AEquale non est periculum cum homo ex angina strangulatur, aut cum alimenta devorare non potest. Sed si, post febrem nimiam exsiccantem & corrumpentem humidum nativum, collum pervertatur ut vix deglutire possit aeger, indicium est convulsionem ab inanitione ortam, atque fauces primo, dein ob viciniam guttur occupantem, interitum minari. In febribus epidemicis ex aëris speciali vitio id nasci ex Hippocrate didiscimus (b), propriaque experientia confirmavimus.

VI.

Erysipelas (in angina) *intus foras converti*, *commodum*: *at foris intro mortiferum. Intro autem convertitur*, *cum eo evanescente pectus opprimitur ac difficilius spirat aeger* (c).

Fallax morbus angina: saepè enim melius se habere videntur aegri, humore ad exteriora effuso, cum tamen subitò pereant, non semper ob recursum ejus ad interiora "sed quia „tumor externus non tàm factus est humore extra converso, „quàm ex exterius redundante (d)." Anginosam describit Hippocrates, cui tumor erat subruber in cervice, & super pectus; cum tamen ei respiratio laesa esset: extrema frigida, livida: potus per nares reflueret: quinta die mortua est (e).

VII.

In angina, qui abs re prorepunt dolores ad caput cum febre, sunt desperatae salutis (f).

VIII.

(a) Hippocrat. 4. *Aphorism. sent.* 35.

(b) Hippocr. *lib* 6. *Epidem sect.* 7. *text.* 1. Vide Tozz. *Comm. in lib.* 4. *Aphor. Hipp. sent* 24.

(c) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 15. *sent.* 5. *pag.* 222.

(d) Valles. *Comm. in lib.* 5. *Epid. Hipp. text.* 57. *pag.* 257.

(e) Hippocr. *lib.* 3. *Epidem. sect.* 2. *aegrot.* 7.

(f) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 15. *sent.* 11. *pag.* 225.

VIII.

In angina, qui abs re prorepunt ad crura dolores cum febre, mortiferi (a).

IX.

Ex anginosis hypocondrii dolor irrita crisi cum infirmitate summa & exolutione obortus, clàm necat, tametsi admodùm videantur esse in tuto (b).

Inconstans morbus angina "ut forte non sine ratione liceret asserere nullum ferè morbum acutum inflammatorium magis volubilem esse (c)." Anginam in pulmonem verti, ad genua, ad caput, ad hypocondria, non modo ex adductis aphorismis, sed & ex historiis epidemicis constat, ut alibi monstravimus (d). Sed in quavis mutatione videndum, num faucibus & gutture apparenter levatis, malum alibi lateat: id enim fieri saepè solet, & ex symptomatibus, crisi, naturae vi, aliisque verum aut falsum levamen manifestantibus dignosci potest (e). "Saltem in illis, inquit Vanswietenius, quos hac anginae specie laborantes vidi, inveni, subito plerùmque & absque bonis signis evanescere dolorem, & deglutionem liberrimam reddi; sed succedere orthopnoeam, stertorem ingratum in pectore, & mortem (f)"

X.

Inter anginosos, qui cocta citò non expuunt, desperati (g).

Cum angina celerrimè cursum suum peragat, necesse est ut coctio citò appareat; cumque partes salivae excernendae dicatae afficiantur, hinc fit ut per salivae fluxum terminetur hic morbus. Discimus hinc, oportere pro curatione partes laxando, humectando: salivam coquendo & expellendo naturam juvare: ut acerbissimum malum vincat.

XI.

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. loc. citat. sent.* 12.

(b) Hippocrat. *Coac. Duret. loc. citat. sent.* 13.

(c) Vanswieten. *Comment. in Aphorism. Boerhaav.* §. 809. *tom.* 2. *pag.* 618.

(d) *Vide Illustr. nostr. ad Hipp. Prognost. sect.* 3. *tex.* 19. *pag.* 247.

(e) *Vid. Pathol. nostr. tract.* 1. *prop.* 4. *num.* 24. & 25.

(f) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 803. *pag.* 601.

(g) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 15. *sent.* 10. *pag.* 224.

XI.

Angina quae febris stationariae symptoma tantum est, illa ipsa methodo curari amat, quam febris ea sibi vendicat, ac proinde vel per diaphoresim & cutis spiracula exterminanda est, vel per aliam qualemcumque methodum, quae febri primarie, cui inhaeret, debetur (a).

Hac observatione ducti, in angina ulcerosa & maligna quam febris intermittentis (continuam tamen aemulantis) perniciosae effectum credimus, kinam modo superius praescripto consulimus. Quod si ulcus faucium tinctura kinae, spiritu salis, aut vitrioli aculeata, eluatur, optimum inde ad gangrenam vitandam remedium concinnari novimus.

CAPUT II.

DE TUSSI ET ASTHMATE.

TUssis, Graece, *Bex* est: *Vehemens cum thoracis concussione afflatus, quo natura validè commota, quae pectori molesta sunt, per tracheam expellere nititur.* Quemadmodum ventriculus vomitu: intestina alvi fluxu: cerebrum sternutamento: venae haemorragiis, quae sibi noxia sunt expellunt; ita per tussim expurgantur ea, que pectori sunt molesta, laudandaque est naturae industria, quae varias vias, variosque modos, ad ea quae sibi infensa sunt ejicienda, mirabili ordine invenit. Cum tussis magna concussione & sonitu fiat, nemini occulta esse potest, atqueadeò ad ejus cognitionem minimè opus est historiam texere; cumque perpetuò alios sequatur pectoris morbos tamquam symptoma actionis expultricis depravatae partium thoracis, seu ipsae primario, seu per consensum afficiantur, proinde quae ad tussim spectant in eorum descriptione annotavimus. Duo tantum hic advertenda: alterum est, omnes thoracis partes cum aspera arteria communicationem habentes seu proximam, seu aliarum interventu, media tussi corpora sibi noxia expellere conari, modo exoptato, modò irrito effectu. Si ergo videmus per

(a) Sydenham. *Observat. Medicar. sect.* 6. *cap.* 7. *pag.* 58.

per tussim noxios humores, aliave extranea corpora ejici, indicium est malum ita in pectore esse locatum, ut facilis sit per tracheam materiae morbosae exitus; quod si tussis sit arida, inanis, diuque molesta, malum aut incoctum, aut ab arteria aspera longè dissidens esse demonstrat. Hinc tusses ex lumbricis, & sordibus in prima regione haerentibus: ex variolis ac morbillis: ex hepatis inflammatione: ex partium externarum thoracis laesione, aliisque dissitarum particularum offensionibus natae, longae & molestae esse consueverunt. Alterum quod advertendum restat id est, tussim variare per affectiones eam comitantes, ut alia ex sonitu, alia ex concussionis modo inter se dissideant; unde fit ut ex tussiendi schemate non difficile sit, tussim lumbricorum, morbillorum, aliasque id genus tussis formas distinguere. Inter has sanè maximum sibi vindicat locum tussis puerorum à nobis, in Illustrationibus ad Hippocratis epidemica, descripta, quò Tirones mittimus, neque laboris poenitebit, cum ibi multa ex Hippocratis doctrina circa tussim adducantur.

Sublata prorsus respiratio, quantum sensibus percipi licet, graecè *apnaea* vocatur. *Dyspnoea* generale nomen est quamvis respirationis difficultatem significans, ut pleuritici, peripneumonici, angina, phthisi, empiemate, aliisque pectoris morbis affecti *dyspnoici* appellentur. Dum verò spiratio difficilis crebra est, & densa, qualis à cursu nimio fatigatis, *asthma* dicitur. Quod si harum quaelibet eousque crescat, ut aegrum jacere haud sinat, quin potius residere, erectaque cervice spirare cogat *Orthopnoea* nominatur (a). *Dyspnoeam, & Orthopnoeam* tamquam aliorum morborum consectaria non describimus; at asthma, ut morbus ex se subsistens, hic explicandum. Est ergo asthma: *difficilis & crebra anhelatio, qualis currentibus accidit, plerumque cum febre, interdum sine illa.* Etsi communis Scriptorum sensus asthma sine febre esse contendat, tamen id perpetuum non esse ex viris in praxi versatissimis accepimus, propriaque experientia confirma-

vi-

(a) Vide Galen *Comment. in lib.* 3. *Aphorism. Hippocrat. text.* 26. & *Comment. in lib.* 6. *text.* 46. Cels. *lib.* 4. *cap.* 4. Cael. Aurel. *Morb. Chronicor. lib.* 3. *cap.* 1.

mus (a). Dividitur asthma in humidum, & siccum. Illud est dum copia humorum bronchia occupat, & propter angustias, per quas spiritus transit, sibilum edit. Hoc fit, dum pulmonum coarctatio à materia dura ut tuberculo, aut á resiccatione, vel contractione nimia provenit. Est etiam asthma continuum, aut intermittens. Qui ashmate continuo vexantur, levi motu, exercitatione, aut alia quavis occasione difficulter respirant, ita ut tempus inter morbi paroxismos magno semper labore peragatur. At in asthmate intermittente extra paroxismum benè se habet aeger: paroxismo autem accedente, quod variis intervallis contingere consuevit, in summam spirandi difficultatem incidit. Asthma est symptoma in actione depravata facultatis vitalis. Pars primò affecta sunt pulmonum bronchia (Physiol. 33.). At diaphragma, omnesque particulae cavitatis vitalis, imò & cerebrum, hepar, ventriculus, intestina, caeterae abdominis partes hunc morbum creare possunt, ita tamen ut ex his vitium necessario pulmonum bronchiis debeat communicari (Pathol. 18. & 63.). Morbus hujus symptomatis generator est modò intemperies, interdum organi vitium. Intemperies non ea tantum quae in qualitatibus, sed praecipuè quae in pulmonum vitiata aut corrupta substantia consistit, asthma creare solet: hinc gravissimus Auctor Avicenna ex pulmonum dispositione cachexiae simili, aqueos crudosque in eo cumulari humores, optimè statuit (b), unde asthma frequenter oriri verisimile est. Inter organi vitia collocanda thoracis structura constricta, seu ea ab ortu, seu fortuitis causis adveniat. Huc etiam pertinet cavitatum occlusio á tuberculis, lapilis, humoribus crassis, aliisque hujusmodi.

Occasionales causae plethora, obstructio, & diathesis ad asthma producendum plurimum conferunt. Si pulmones debiles á nativa constitutione, sanguine ex suppressis haemorroidibus, aut uteri purgamentis repleantur, hunc morbum facilè suscipiunt, aut occlusis viis per quas aër transire debet,

(a) Vide Carol. Pison *de Morb. à colluv. seros. sect.* 3. *cap.* 4. *pag.* 221. & Sennert. *Pract. lib.* 2. *part.* 3. *cap.* 2. *quaest.* 3. *pag.* 340.

(b) Avicen. *lib.* 3. *fen.* 14. *tract.* 4. *cap.* 3. *pag.* 319.

bet, aut eorum corrupta temperie. Obstructio asthmati, si quid aliud, ansam praebet, cum crassi, crudi, impactique humores, tum tubercula, lapilli, bronchiorum contractiones, & id genus alia, aëris transitum impediendo difficilem celeremque respirationem saepè inducant. Diathesis asthmatica est propensio pulmonum in coarctationem, unde occlusis viis, ea praesente, quivis in hunc morbum incidit. Pueri hac diathesi gaudent ob laxam, mollem, & glutinosam bronchiorum substantiam, ita enim humores crudos facillimè colligunt ea occludentes. Senes ob pulmonum cachecticam debilemque constitutionem, eorum coarctationi maximè subjacent, atqueadeó asthmate saepè vexantur. Sunt qui à generatione diathesim asthmaticam secum deferant, quae temporis progressu monstratur. Sunt etiam, qui ob specialem pulmonum idiosincrasiam huic morbo prae caeteris aliis subjiciuntur. Jam verò si in corpore his causis occasionalibus disposito accedat causa efficiens omnium potentissima aër, paroxismus asthmaticus subitò emergit. Hinc vere & autumno exacerbatur hoc malum, & ad quasvis tempestatis mutationes vehementiores, imò & fideli quorumdam observatione (a), ad varios Lunae motus agitatur & crescit. Notum etiam est, ex crypris subterraneis & fodinis quandoque halitus effundi respirationi noxios: observavitque Boerhaavius in Chymicis stibii processibus magna cura halitus esse vitandos, quoniam pulmones offendendo mortem celerrimam inferunt (b): indeque discimus vim aëris in asthmate producendo non tam manifestis qualitatibus, quam viribus occultis esse tribuendam. Diaeta improvidè administrata aliquos fecit asthmaticos, alimenta enim tum copia, tum crassitie, tum demum vitiosis qualitatibus, pulmonibus possunt esse noxia. Nimius aquae usus difficilem reddit respirationem, ut agentes de catarrho vidimus; si tamen nimis frigida fuerit aqua, asthma creare solet: exercitia immodica: vehemens capitis & pulmonum excandes-

cen-

(a) Vide Carol. Pison. *de Morb. á seros. colluv. sect.* 3. *cap.* 4. *pagin.* 225. Sennert. *Pract. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 2. *pag.* 335.

(b) Boerhaav. *Chem. p.* 2. *process.* 121. & 122. *Vide etiam Chem. de Art. Theoria. de aër*, *pag.* 414.

centia: frigus intempestivè susceptum post corporis in ludo pilae excalefactionem, aliaque id genus exercitamenta, morbum hunc saepe creasse novimus. Sed post animi pathemata vehementiora iram praesertim, & timorem quosdam in asthma incidisse, omnibus in confesso est.

Asthmatis intermittentis phoenomena ea ipsa sunt, quae asthma continuum sub paroxismo comitantur. Asthma continuum extra paroxismum his notis manifestatur. Senes, puerosque potius, quàm juvenes adoritur, atque anhelationi magis expositi sunt hi, quibus frequens destillatio ac tussis est, praecipuè cum angustos aut debiles pulmones habent; sed inter hos eos magis infestat, qui vel natura, vel otio, vel victus intemperantia redditi sunt obesiores. Quibusdam ex initio generatur: aliis post morbos & labores supervenit. Antequam paroxismus erumpat gravitas adest pectoris, tarditas ad solita opera, & ad omnia gerenda ignavia: in cursu aut acclivi itinere difficilis & aegra spiratio: raucitas ac tussis: eructationis paeter rationem, flutuumque in praecordiis proventus: vigiliae: nocturni calores: frigidi aëris cupiditas. Sub hoc statu per quietem corporis, per jejunium, & sereno Coelo non decumbentes obambulant, morbi vehementia non impediti. At si quavis de causa paroxismus ingruat, subitò spirandi difficultate corripiuntur simili iis, qui longo cursu fatigati celeriter anhelant. Interea pectus grave est cum calore, & suffocationis sensu, usqueadeò ut quaelibet domus ipsis ad trahendum spiritum parva & angusta videatur. Praeter haec dolor aliquis in thorace & praecordiis versatur, interdum etiam in scapulis, isque modò intermittit, modò revertitur; hisque omnibus tussicula etiam intervenit, qua pauca, tenuia instar salivae, spumosa rejiciuntur. Quod si malum sub ea accessione increscat, malae rubent, reliqua facies pallet: oculi prominent velut in iis qui strangulantur: intestinorum versus diaphragma contractio: vox obscura, sonoque carens: extensio colli atque vultus: pectoris sibilus cum stridore: situs erectus, orthopnoea: sudor circa frontem & jugulum: pulsus primum inflati, dein parvi, celeres, depressi. His verò magis augescentibus, ora, labia, livescunt: sudor per corporis extrema frigidus, glutinosus: quibusdam sub eo statu per suffocationem mors: alii instar commitialis

morbi intereunt. Sunt qui in asthmate intermittente sub ipsis paroxismi initiis subito repentina strangulatione suffocentur. Cum verò, quicumque naturae, morborumque periodi certa temporis mensura contineantur, asthmatis accessio, certis limitibus comprehensa, interdum aegro superstite cessare consuevit. Dum id fit, sensim post praedicta mala quiescere incipit aeger: sputa prodeunt copiosa, humida, saniosa: pulsus non adeò crebri, neque depressi: vox clarior: praecordia remissa: urina aquea, copiosa, sine subsidentia: spiratio rara, lenis: interdum per oculos & nares humoris excretio. Ita quidem asthmatici mortem ex paroxismo effugiunt; sed in morbi cessationibus, etsi non decumbentes incedant, secum tamen periculum alterius paroxismi superventuri circumferunt. Id malum extra paroxismos longum est, nec facile sanabile. Si à tuberculo, pulmonum aut pectoris angustia, debilitate, cachectica dispositione fiat, ferè curationem non admittit. Quandoque asthmatici ex pulmonis inflammatione, saepè ex hydrope moriuntur, atque adeò si manus, pedes, scrotum, venter, facies in magna spirandi difficultate intumescant, de aegro conclamatum est.

Paroxismi asthmatici curatio postulat ante omnia, ut aeger à suffocationis periculo arceatur. Igitur sanguis mittendus ex brachio, nec semel tantum, sed bis & amplius si malum urgeat, ita tamen ut non multum sanguinis singula venae sectione extrahatur, sed virium etiam robur attente cum morbi viribus compensetur. Pedum lotiones, frictiones crurum, cucurbitulae ad foemora applicatae magni hic usus esse consueverunt. Prosunt etiam haustus ex aqua hordei egelida, syrupo violarum, hederae terrestris, de mucilaginibus, pauca dosi permixtis. Cum paroxismus acutissimus sit, inedia imperanda, nisi virium imbecillitas obstet; quod si jusculum dare oporteat, tenue id sit, & pauxillo spermatis ceti permisceatur: dandaque opera, ut nec multum, nec grave quidquam praescribamus, cum vi morbi natura lacessita parùm laborare possit. Fugienda omnia calida, dissolventia, acria; unde gummi ammoniacum, balsamicae pillulae, aliaque id genus medicamina noxia esse deprehendimus. Fugienda etiam sunt quae *actu* frigida in Scholis dicuntur, adstringentia, agitantia, morbus enim hic quiete minuitur. Sed

ex

ex opio parata remedia, etsi pacifica, periculosa in asthmatis accessione sunt, materiam enim, quaecumque illa fuerit, intus cohibent magno aegrotantis discrimine. Extra paroxismum non ubique instituenda est curatio, sed tunc tantùm cum morbus curationem recipere potest. Igitur si asthma á tuberculo crudo, pulmonum nativa debilitate, dispositione cachectica in habitum versa, aut organico vitio thoracis oriatur, curatio minimè tentanda est, tum quia non sunt infamanda remedia quae aliis fuere praesidia, cum maximè quia per medicamenta agitata natura citiùs succumbit. Solamen unicum iis aegris est diaeta moderatissima, ut paroxismos, quantum fieri possit, avertant. Dum verò asthmatica affectio hominem robustum occupat ante senectutem, nec altas adhuc radices habet, nec pulmonem corruptum, aut vitio inemmendabili labefactatum, curatio instituenda est, ut sensim malum vehemens fugari possit. Sub eo statu vere & autumno prodest sanguinem mittere, blandèque aegrum expurgare; quibus enim venae sectio, aut purgatio convenit, iis vere venam secare, & purgare oportet (a). Diaeta perpetuò observanda, ut alimenta tantum devoret, quae vitae sustinendae sufficiant, sic enim sobriae vitae commoda evidenter patefiunt. Potus paucissimus esse debet, nihil enim citiùs spirandi difficultatem promovet quam potatio nimia. Vinum sub parcissima copia á gravibus viris non improbatur. Remedia pauca esse debent, imò & ex longis tantùm intervallis assumenda, eaque conferunt, quae blandè & sine molestia pulmones recreant. Decocta ex althaea, symphito, jujubis, hordeo, liquiritia, additis hedera terrestri, tussilagine, aliisque hujusmodi vegetabilibus, post venae sectionem & purgationem, per aliquot dies assumpta ex usu esse solent. Millepedes vivi contusi, & in aqua graminis expressi, ad modum emulsionis propinati, utiles in asthmate esse consueverunt. Nimis fortia sunt hysopus, marrubium, erysimum, tabacus, scilla, & ex his parata medicamenta, saepèque turbas excitando nocuisse novimus; in multa tamen humorum crassorum copia sine febre, viribus validis, optatum pro-

(a) Hippocr. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 47.

produxisse effectum insignium Medicorum observatione constat. Ex Chimicis parata remedia balsamum sulphuris, benzoini flores, tinctura camphorata Tachenii, oleum essentiale anisi, aliaque quamplurima ab his hominibus laudata, non modo inutilia, sed & summè noxia esse deprehendimus. Vermes sericos, vulpis & Herinacei pulmones, stercus lacertae, vermes urticis subjectos, oculos philomelae crematos adversus asthma valere, Auctores non ignobiles affirmant, sed fides penes eos esto. Idem dicendum de jure galli veteris á veteribus primum, dein à Riverio magni aestimato, nihil enim effecisse in asthmatis curatione experti novimus, ut inde occasionem arripuerit jocandi potius, quam medendi Auctor, Musitanus, veteres Medicos sine ullo discrimine scurriliter traducendi. Horum omnium medicamentorum loco prosunt fonticuli in cruribus, ob eorum cum pulmonibus consensum. Videndus hac de re Aetius Scriptor Graecus non ignobilis, cujus praxim circa cauteria in asthmate pluribus exponit, laudatque Freindius (a). Sed cum Tirones ab omni errore, & mentis praeoccupatione liberare necesse sit, dolenter affirmo, asthma malum esse ita vehemens, ut raro curationem admittat, omnemque officinarum pompam, balsamicis, expectorantibus, aliisque id genus medicamentis superbientium, saepè eludat. Videndus Casalius noster, qui hunc morbum á tuberculo ortum accuratissimè describit, atque remedia famigeratissima quàm parum in eo proficiant, candore solito monstrat (b).

APHORISMI.

I.

Si aliqui ex morbo sublevati sint, venasque temporum non firmas habeant, hoc est, quae latius dilatentur, nec color na-

(a) Aet. *Tetrabibl.* 2. *serm.* 4. *c.* 57. *p.* 457. Freind. *Histor. Medic. ann.* 500. Vide Valles. *Comm. in Epidem. Hipp. lib.* 6. *sect.* 4. *text.* 3. *circa finem.*

(b) Casal. *Histor. Natural de Astur. pag.* 361. & 374.

nativus adsit, majorque sit respiratio, aut tussis arida non ferina, expectare oportet, ut morbus in articulos firmetur. (a).

Hanc Hipprocratis sententiam, prout à Galeno exponitur, hic adducimus, cum alias esset obscura. Tussis arida est, in qua nihil expuitur: ferina, quae horrendi mali soboles est. Si igitur signis in textu positis tussis accedat arida, non ferina, abscesus certè in articulis firmabitur. Docemur hinc, non statim medicamentorum copia eos opprimere, qui á magnis morbis evadunt, si quibusdam adhuc symptomatibus vexentur, sed cognitos naturae motus juvare. Ex vero, inquit Baglivius « asthmata, dyssuriae, & arthritides mutantur » adinvicem (b). »

II.

Quibus diu tusses siccae, paulum irritantes in febribus ardentibus fiunt, non admodum siticulosi sunt (c).

Quando tussis in ardentibus febribus sitim tollat, exposuimus pro usu Tironum in *tractu de Febribus* lingua vernacula. Optimè Celsus ad curationem, inquit: «Si quis in » hujusmodi febre leniter tussit, is neque vehementi siti con» flictari, neque bibere aquam frigidam debet (d)«.

III.

Frigida veluti nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac catarrhos inducunt (e).

Ex sola frigiditate aëris saepè tussim induci iis, qui arteriam asperam, pulmonesque imbecillos habent, aliquando videmus, solaque spiritus cohibitione curari, saepè monuit Galenus. At si frigidum veluti nix & glacies multum duraverit seu exterius, seu interius applicetur, tussim vehementem, nec facilè sanabilem creare solet. Discant hinc helluones, qui non modo aquam, sed & cibos, ut palato indulgeant, congelatos assumunt, sibi praematuram mortem asciscere.

IV.

(a) Hippocrat. *lib.* 6 *Epidem. sect.* 2. *text.* 16.

(b) Bagliv. *Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 67.

(c) Hippocr. *lib.* 4. *Aphor. sent.* 54.

(d) Cels. *lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 135.

(e) Hippocrat. *lib.* 5. *Aphorism. sentent.* 24.

IV.

Quibus tussis sicca, non solvitur nisi dolor fortis in coxam, aut in crura, aut in testem (a).

Si tussis homini sano ob constitutionem pluviosam, aut veris, autumni, temporisque statum, qualem Hippocrates tertia aphorismorum sectione describit, adveniat, recensque sit sine spirandi difficultate, facilè concoctione, sputatione, quiete, abstinentia, paucis aut nullis adhibitis remediis, solvitur. At si tussis sit sicca & antiqua, crudam materiam & coctioni resistentem, aut corruptam partium spiritalium substantiam denotat. Si ab hac causa tussis oriatur, phtisim, asthma, pleuritidem, peripneumoniam, aliosque mortiferos pectoris morbos post se trahit: nec unquam, aut forte rarissimè, sanationem admittit. Quae à cruda materia nascitur, si concoctioni & mobilitati prona sit, spuitionibus & abcessibus, validis integrisque thoracis partibus, solvi potest; secus fit in tuberculis, lapillis, aliisque corporibus motui resistentibus. Abcessus qui post longas tusses fiunt, ut salutares sint, eas debent habere conditiones, quas longo sermone adduximus in Illustrationibus ad Hippocratis epidemica (b).

V.

Quaecumque tussis modico fit conatu, celerique ac facili materiae eductione cum multo levamento, sine dolore, sine oculorum rubedine, optima esse censetur: quae contra fit, pessima (c).

Tussis humida à capitis destillatione saepè fit: non rarò ob humorum in pectore collectionem, seu à toto corpore ut in metastasi per morbos, seu ob pulmonum vitium ibi cumulentur. Si ea, quae in aphorismo traduntur, adsint signa, interimque somnus non aufertur, neque longo tempore frequens, gravisque hominem exercet in tussiendo molestia, in sanationem ire censendum est.

VI.

(a) Hippocrat. *lib* 5. *Epid. text.* 16. & 8. *pag.* 16. & *seq.*

(b) *Vide Ilustrat nostr. ad Hippocrat. Epidem. lib.* 1. *sect.* 1. *text.* 7.

(c) Lomm. *Medicinal. Observat. lib.* 2. *pag.* 136.

VI.

Tussis quae à destillatione est, ea quibusdam intervallis, prout humor irruit, his, terve, per annum molesta est (a).

Etsi non perpetuum, commune tamen est quod in hoc aphorismo dicitur. "In pluribus adhuc utriusque sexus ho„minibus obvium est (inquit Hoffmanus) singulis ferè an„nis, vere, & autumno, per tussim & coryzam cum levi „febricula serosum humorem rejici .... quod tamen si non „imprudenter sistitur, sed leniter temperantibus, & laxan„tibus tractatur, egrigiè cedit in sanitatem (b)."

VII.

Tusses pectorales potius sunt humidae, hepaticae magis siccae (c).

Nec hepaticae tantum, sed stomachicae, intestinales, verminosae, aliaeque plures ex aliis partibus, pectus in consensum trahentibus, tusses siccae fiunt. Quod etsi sub initiis ita fieri soleat, procedente tempore fiunt humidae, translata materia in pulmones, aut in his, per morbum labefactis genita.

VIII.

Ingruente tussi omnia difficilia, & laboriosiora; temporis verò progressu subacta & maturata colluvie, usque ad euphoriam (id est facilem tolerantiam) *mitiora* (d).

Quemadmodum cruda materia non est purgandum, nec crudo morbo sudandum, ita incipiens crudaque tussis non est expectorantibus, ut vocant, agitanda. Ad rem, inquit Junckerus "expectorantia vulgato abusui obnoxia adfluxum „humorum ad locum affectum augent; congestionem seu de„cubitum majorem reddunt, & potius per pectus, quàm „ex pectore (non secus ac purgantia per intestina) evacuant (e)."

(a) Lomm. *loc. cit. pag.* 137.

(b) Hoffm. *Therap. Medic. sect.* 1. *cap.* 9. §. 31. *pag.* 347.

(c) Klein. *Interpr. Clinic. de Tuss. pag.* 283.

(d) Benet. *Theatr. Tabidor. exercitat.* 17. *pag.* 48.

(e) Junck. *Conspect. Medic. tab.* 31. *pag.* 275.

IX.

Certè dulce vinum majorem vim habet promovendi expectoratum, quàm aliud quodvis; verum quibus vinum dulce sitiferum est, iis quidem minus expectoratum educit quàm aliud quodvis (a).

Sitis in tussi ex catarrho maximum remedium est: "Ego, „inquit Heurnius, in me ipso non majus remedium deprehendi. Saepè incurrit me tenuis acerque catarrhus; ab omni potu abstineo integro triduo, ita evado, & sitiendo siccor: antea plurimis diebus, cum id ignorarem, affligebar (b)." Errant ergo qui tussim hibernam, ex temporum constitutionibus ortam, aqua limonum, lacte, aliisque refrigerantibus curare intendunt. In senibus sub eo statu vinum in syrupi formam redactum optimè tussim lenit, quandoque sanat. Sed si viscera calidiora fuerint, non modo vinum, sed & omnia expectorantia calida fugienda, sitim enim & exsiccationem nimiam inducendo, materiam crassiorem durioremque reddunt, atque adeò expuitioni ineptam.

X.

Qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur (c).

Duplex est hujus sententiae sensus, aequè observatione conspicuus. Pueri, quibus aetatis ratione asthma familiare est itemque tussis, ob spinae debilitatem, sine ictu aut casu, gibbi fiunt, quod dum contingit, ante pubertatem moriuntur. "Omnibus siquidem est commune, inquit Galenus, „qui sponte gibbi facti sunt, propter dura tubercula, & „concoqui difficilia tales fieri.... quaecumque cum difficili „anhelitu fiunt, sunt iis, qui adhuc augentur, perniciosa, „aut enim haec magna sunt, vel in loco thoracis ad vitam „tam opportuno. Cum igitur pulmo unà cum corde in ta„libus augeatur, locusque continens minor efficiatur, cos„tae verò non augeantur, & se flectendo, propter gibbo„si-

(a) Hippocrat. *de Vict. ration. in acut. sect.* 3. *tex.* 4. & 5.

(b) Heurn. *de Morb. capit. cap.* 30. *tom.* 1. *pag.* 460.

(c) Hippo. *l.* 6. *Aphor. sent.* 46.

„sitatem thoracem faciant angustiorem, necessarium est tam „brevi fieri anhelitus difficultatem, ut humo corrumpa-„tur (a)." Alter hujus sententiae sensus est, quosdam ex gibbere fieri asthmaticos, qui si pueri sint, ante pubertatem, caeteri tum demum ex suffocatione pereunt. Haec sententia in libro de *Articulis* luculentius exaratur (b).

XI.

Orthopnoea sicca hydropem facit (c).

Etsi hunc locum non incelebres Scriptores aliter proponant, mihi tamen Hippocratis mentem Tironibus ex ipsa observatione declaranti ita visum est traducere. Igitur qui ex crudo tuberculo, pulmonum cachexia, imbecillitate, levium in ipso arteriarum obstructione, gibbere, aut alio quovis organico thoracis vitio, in orthopnoeam frequentem incidit siccam sine sputo & humorum laudabili excretione, in hydropem lethalem inde transire communi experientia novimus.

XII.

Anhelosae famulae cum vasa sanguinem funderent, in menstruis autem fiebat, anhelationes illae cessabant. Febris fiebat. Mamma sinistra supernè suppurata est, & à principio etiam auris (d).

Ob magnum inter pectus & genitalia consensum foeminis circa id tempus, quo menstrua cessare solent, anhelationes supervenire videmus, venae sectionibus ex intervallis, sobrietate, aetatis mutatione, unicè emendabiles. Febres etiam acutas tunc fieri cum spirandi difficultate conjunctas observare in quibusdam licet, cortice peruviano lege artis praescripto tollendas, cum tertianarum morem gerere videantur. Quibus cerebrum per aures expurgatur, facilè fiunt anhelosi ob humorem à capite in pulmones delabentem, nisi ad articulos fluxus divertat, tunc enim articularis morbus ab asthmate praeservat, quod ideo monendum duxi, ne Medici

 re-

(a) Galen. *Comm. in lib. 6. Aphor. Hipp. text.* 46.

(d) Hippocrat. *de Articul. sect.* 3. *tex.* 1. & *seq.*

(d) Hipp. *Coac. praenot. text.* 424.

(c) Hipp. *lib.* 4. *Epid. text.* 84.

remediorum farragine pro dolore articulorum tollendo praepropere utentes, anhelationi ansam praebeant (a).

XIII.

Si quis per bonam valetudinem difficulter (crebro celeriterque citra febrem) *spirare inceperit cum solitas actiones facere potest, augeaturque malum, neque inter respirandum stertere videatur, crudi tuberculi ortum suspicari oportet* (b).

Lectu dignissima est historia Antipatri Medici, qui sub his signis tum demum orthopnoea vehementissima interiit, id enim singulare adnotat in ea Galenus, quod pulsum habuerit inaequalem omni genere inaequalitatis, quodque non asperarum, sed levium arteriarum pulmonis obstructione laboraret (c). Cum enim in pulmonibus asperae sint arteriae aërem deferentes ex tracheae ramis, & leves ex arteriis pulmonalibus sanguinem continentibus derivatae, si obstructio in levibus arteriis sit, respiratio sensim laedi incipit, eamque pulsus inaequalitas summa comitatur. "Deprehenduntur „obstructiones istae, inquit Salius, à solo pulsu, nec ullum „aliud indicium habent.... unde in hujuscemodi obstructio„nibus, magnae & parvae, celeres & tardae, rarae & frequen„tes, validae, & imbecilles adsunt pulsationes, inter quas „aliquae decurtantur, aliquae nonnumquam intermittunt, „aliquae intercidunt, in eadem autem pulsatione saepè est „inaequalitas quoad plures ejus differentias (d)." Sed neque inutile erit adnotare, Herediam nostrum qui de hac Antipatri affectione eleganter disputavit, hominem hypocondriacum vidisse, cui haec erat pulsus inaequalitas, sine difficili respiratione subitò adveniens, & simili facilitate evanescens, quod flatibus, quibus nimium vexabatur aeger, non ineptè tribuebat (e).

XIV.

(a) Vide Hippocr. *lib.* 6 *Epidem. sect.*4. *text.*1. *Vid. supr. Aphor.* 1.

(b) Gale. *l.* 4. *de Loc. affect. c.* 8.

(c) Vide Galen. *loc. citat. circa finem.*

(d) Petr Sal. *de Affectib. particular. cap.* 21. *pag.* 350.

(e) Hered. *Tractat. Medicinal. disput.* 6. *de Morb. difficiliorib. cap.* 1. *pag.* 66.

XIV.

Spiritus densus, parvus impotentia, &c. (a).

Loquitur Hippocrates de muliere cui respiratio densa & parva erat ob imbecillitatem. "Quantum attinet difficilem „spiritum senum (inquiunt Medici Uratislavienses) haud in„ficiari possumus, quod in quibusdam non ab affecto pul„mone atque ibidem haerentibus crassis succis proficiscatur, „sed potius ab impotentia thoracis, diaphragmatis, & mus„culorum intercostalium pendeat, quod pro sagacitate in„genii sui jam Plato in Timaeo agnovit (b)." Sedulò igitur inquirendum in omni spirandi difficultate, num ex vitio pulmonum, aut partium moventium puta diaphragmatis, musculorum non modo pectoris, sed abdominis etiam fiat (c). Harum partium imbecillitatem sequitur movendi impotentia, facultas enim debilis nec citò nec vehementer operatur, quo fit ut in hystericis, senio confectis, debilibus, à morbo convalescentibus, at que spirituum ataxia laborantibus, levissimis de causis respiratio laedatur, quod vitium etiam in omnibus, qui morti proximi sunt, apertè conspicitur. Addit Vallesius noster diaphragmatis resolutionem, & quidem rectè, ab ea enim apoplecticos, lethargicos, aliosque hujusmodi spiritum trahere difficillimum verisimile est. "Nam si semi„resolutum, inquit, & cum movendi impotentia septum sit „(quid autem prohibet ita esse) non poterit longum dila„tari, quare dilatabitur motu curto; cum verò usui, utpo„tè quem non ponimus diminutum, non fiat satis, necesse „sit moveatur crebro (d)."

XV.

Asthmaticas mulieres ferè semper cum uterinis mixtis pectoralibus curato (e).

Mulieres ex uteri affectionibus in asthma incidere supra mo-

(a) Hippo. *lib.* 4. *Epid. text.* 20.
(b) *Med. Uratislav. ann.* 1702. *pagin.* 381.
(c) *Vide Physiolog. nostr. Prop.* 41. *num.* 167.
(d) Valles. *Comment. in lib.* 4. *Epidem. Hipp. text.* 20. *pag.* 171.
(e) Bagliv. *Prax. Medic. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 66.

monuimus, ob magnum genitalium cum pectore consensum (a). Hoc asthmatis genus, sicut illud quod ob affecta hypocondria in viris fit, *convulsivum* appellare recentiores consuevere. Sed ne Tirones in praxi fallantur, advertere oportet, convulsionem tum musculorum respirationi inservientium, tum maximè diaphragmatis certum quoddam dyspnoae genus producere, quod rarò asthmatis naturam refert: Si septi transversi convulsio stabilis sit, tum rara & intercepta fit respiratio, ut aegrotantes inspirationem difficillimè efficere possint, seseque ab angustia suffocari videntur, quasi fasciam strictam supra ventriculum per corporis medium sentientes, quod mali genus ad dyspnoeam, non ad asthma pertinet. Si convulsio alterna sit, seu motus convulsivus, ab ea gignitur respirandi difficultas ab Hippocrate spiritus *offendens* appellata (b), mali quidem ominis in febribus, sed ab asthmate aliena. Willisius, qui spasmorum energiam ultraquam par est, extendit, in limine fateri cogitur, & tusses merè convulsivas, & asthmata haud saepius in adultis vidisse (c). Hoffmanus sub asthmatis spasmodico-flatulenti, specie, asthma commune describit ex Aretaeo (d); neque satis, ut opinor, discernit hoc malum, dum humidum est, à sicco, utrumque cum convulsivo confundens. Reliquum est, ut etsi convulsio diaphragmatis, aliorumque musculorum respirationi inservientium dyspnoeam saepè faciat, non nisi rarenter admodum asthma creare possit.

XVI.

Asthma quandoque in pulmonis inflammationem transit .... si asthmati pleuritis veniat, frequenter moriuntur (e).

Asthmatici omnes subita suffocatione, hydrope, aut inflammatione partium internarum pectoris, pulmonum praecipue, moriuntur. "Cauti ergo sint Medici in usu remedio- »rum nimis volatilium, per haec enim in tenuibus pulmo- »num

(a) *Vide super. Aphor.* 12.
(b) Hipp. *lib.* 4. *Aphor sent.* 68.
(c) Willis *de Morb. convulsiv. cap.* 12. *pag.* 561.
(d) Hoffm. *de Morb. spasmodic. sect.* 2. *cap.* 2. *pag.* 94.
(e) Bagliv. *Prax. Med. lib.* 1. *c.* 9. *pag.* 64. *&* 67.

„num membranulis & magno sanguinis gurgite continuò af-„fluentibus faciliter inflammationem produces.... Licet san-„guinis missio paroxismum asthmaticum statim sanet, fre-„quentes tamen sanguinis missiones sanguinis tonum labe-„factant magis, ac debilitant, & hinc demum morbus desi-„nit in hydropem universalem (a)."

XVII.

Si vehementer inflammentur appendentes utriusque pulmonis partes ut in latus incumbat, resolvuntur ea parte corporis (b).

"Signum alterum, inquit Carolus Piso, etsi fortasse non „commune omni hydropi thoracis, sed ei cujus origo ab „aquae è capite in pulmones depluvio, resolutio scilicet al-„terius brachii, aut utriusque (c)." Mira igitur viscerum cum nervis consensio facit, ut non modo pulmonibus, sed liene, hepate, imò & renibus affectis, ob spinalem medullae connexum, partes iis respondentes è directo interdum resolvantur, non integrè quidem, sed levi quodam torpore ad paralysim plus minusve accedente. Sed quoniam hydropis pectoris mentio hic fit, non inutile visum est advertere, hunc morbum, dum incipit, viam atshmati parare: perfectum, non modum asthma sed orthopnoeam inducere. Igitur nihil differt pectoris hydrops ab asthmate nisi humoris in thorace & pulmonibus contenti ratione; cum enim asthma à tuberculis, crassis humoribus, lapide ut de eo per tussim ejecto mentionem facit Trallianus (d), lapillis, ut refert Carolus Piso, omnique obstructionum genere creari soleat, ab humoris aquosi copia vias spiritus obturante, pulmonesque obruente dum fit, hydropis pectoris nomine discernitur. Signum pathognomonicum hujus aquae collectionis in thorace statuit Carolus Piso "eam in spirando difficultatem ac crebritatem „quae

(a) Bagliv. *de Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 62. & 66.

(b) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap* 16. *sent.* 31.

(c) Carol. Pis. *de Morb. à colluv. seros. sect.* 3. *cap.* 7. *pag.* 243.

(d) Trallian. *lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 197. Carol. Pis, *de Morb. à colluv. seros. sect.* 3. *cap.* 4. *pag.* 215.

„quae de subito somni primo tempore invadat, & quiete „defraudet, sed tamen procedente die sensim lentescat (a)." ex eoque desumpserunt Riverius, Baglivius, Uratislavienses Medici, & quotquot de hoc morbo post Pisonem tractarunt; sed fallax id esse norunt omnes, qui in artis operibus exercitati sciunt, eam spirandi difficultatem primo somni tempore pluribus asthmaticis, empiicis, dyspnoea, aliisque respirationis vitiis laborantibus saepè contingere. Quae ergo de asthmate scripsimus ad pectoris hydropem transferri possunt, haec nimirùm adnotantes. Primò, pulmonem calidum à nimio potu facilè humiditate repleri quae si ex naturae aut artis vi non expellatur, in asthma cum pectoris hydrope degenerat. Secundò, articulorum doloribus vexati si imperitè tractentur, leucophlegmatia laborantes, cachectici, salivosi, aliique hujusmodi in asthma ex aquae collectione in thorace proclives sunt. Tertiò, pulmonum dispositio cachexiae similis humores in aqueam crudamque naturam convertens, hydropem pectoris saepè inducit, ut omnium causarum hujus morbi sit efficacissima. Ergo ex his quae de asthmate diximus, quid in hydrope pectoris agendum sit, Tirones intelligent.

XVII.

Inter praesidia, evaporationes & suffitus tamquam nobiliora, & quibus unicè in extremis angustiis confidamus, pensitanda (b).

Veteres Medici suffitus, & evaporationes magno cum fructu plurimis morbis adhibebant. Hanc praxim nostris temporibus mirè auxit Benetus in parvo sed utili opusculo quod inscripsit *Theatrum Tabidorum*, in eo enim instrumenta depingit, quibus suffitus in pulmonem facillimè fit, atque medicamenta per suffitum ingerenda describit. Dum vero horum instrumentorum copia deest, per infundibulum vapor recipi potest, interdum magnae efficaciae in asthmate. Coquantur herbae superius ad hunc morbum propositae, misceantur decocto, pro re nata, quae juxta mali & aegri conditionem re-

(a) Carol. Pis. *loc. cit.*

(a) Benet. *Theatr. Tabidor c.* 28. *pag.* 71.

requirantur, ex his omnibus vapor per suffitum inter spirandum in pulmones illabatur, ut remediorum vis ipsam partem morbo affectam corrigat, & adjuvet. « Pulcherrimum quod » tunc adhiberi potest remedium est, si omni momento » aeger calidum & humidum vaporem naribus & ore hauriat, » ut tota pulmonis aërea superficies humescat & emolliatur,“ verba sunt Vanswietenii de peripneumonicis, ad nostrum propositum commodè transferenda (a). Juvat hic colophonem imponere verbis Medicorum Uratislaviensium á Tironibus maturè pensitandis. «Quantumvis autem varia hactenus » remedia recensuerimus, quibus malum hoc debellari queat, » & debeat, pro candore tamen nostro non ducimus esse dissimulandum, quod multoties hoc malum tam rebelle sit, » ut aegri non tantum non curentur, sed nequidem symptomata eorum mitigentur. Quo casu medicamenta avara manu aegris danda esse credimus, imò Medicos nihil à christiana pietate alienum facturos putamus, si prorsus à remediis exhibendis ad tempus abstinuerint (b).

CAPUT III.

DE SPUTO SANGUINIS.

QUod á prioribus Graecis *Anagoge*, á posterioribus *Haemoptysis*, á Latinis *sanguinis sputum* appellatur, scilicet, *rejectio sanguinis per os*. Haec affectio praeter communes omnibus morbis differentias, speciatim eas suscipit, quae á partibus sanguinem in os mittentibus desumuntur, " exit enim modo ex gingivis, modo ex ore, & quidem » ex hoc interdum etiam copiosè, sed sine tussi, sine ulce» re, sine gingivarum ullo vitio, ita ut nihil excreetur; ve» rum ut ex naribus, sic ex ore aliquando prorumpit, atque » interdum sanguis profluit, interdum simile aquae quiddam, » in qua caro recens lota est. Nonnumquam autem is à sum» mis faucibus fertur, modo exulcerata ea parte, modo non

V » ex-

(a) Vanswiet *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 866. *pag.* 728.

(b) *Histor. Morb. Uratislav. de Hydrop. pector. cap.* 3. *pag.* 472.

„ exulcerata, sed aut ore venae alicujus adaperto, aut tu-
„ berculis quibusdam natis, ex hisque sanguine erupente;
„ quod ubi incidit, neque laedit potio, aut cibus, neque
„ quidquam, ut ex ulcere excreatur. Aliquando verò gutture, &
„ arteriis exulceratis frequens tussis sanguinem quoque extun-
„ dit. Interdum etiam fieri solet, ut aut ex pulmone, aut
„ ex pectore, aut ex latere, aut jocinore feratur. Saepè foe-
„ minae, quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc
„ expuunt. (a)" Adde, ex capite, ventriculo, aesophago, vicinisque ori partibus sanguinem in id confluere, indeque rejectari. Quae omnia etsi vera sint, hic tantum de ea sanguinis per os rejectione agimus, qua ex pectore fit. Sanguinis sputum symptoma est in excretis, quae Galenus *toto genere praeternaturam* appellat, quoniam naturae lege nunquam sanguis per os educitur, sed vi morbi (b). Morbus hujus symptomatis generator est soluta unitas partium, quae commodè ad vasorum sanguíneorum ruptionem, apertionem, aut erosionem reducitur.

Inter occasionales causas plethora ad sanguinis per os rejectionem plurimum facit, gravat enim & distendit vasa, eaque rumpendo, aut aperiendo sanguinem fundere cogit. Saepè subiit cogitatio, sanguinem ex vasis minimis pectoris (capillaria appellant) ruptis, aut apertis, affluentem, inflammationem, dum in partibus stagnat, efficere: si in cavitates feratur, ex quibus difficilis est exitus, in empiema verti: si aditum ob vias patulas in oris hiatum inveniat, sanguinis rejectionem producere. Obstructio si levis sit, vias occludendo sanguinis exitum impedit; si tamen magna tenaxque fuerit, sanguinis eruptiones inducit, corrumpit enim illum, atque vasa rumpendo, aperiendo, aut, quod saepè fit, erodendo, foras emergit. In longis & inveteratis lienis, hepatis, pulmonum, cerebri obstructionibus dum aegri in pejus ruunt, praecedentibus sanguinis eruptionibus mors saepè advenit. Sed diathesis, sicut in aliis, ita in hoc morbo plurimum confert.

(a) Cels. *de Medic. lib. 4. cap. 4. pag. 202.*

(b) Galen. *de Different. sympt. lib. 3. cap. 6. Vide Segarram nostrum in Comm. ad hunc locum, pag. 112.*

fert. Quibus vasa sanguinea debilia sunt, aut apertioni, & ruptioni opportuna, nullo negotio in sanguinis per os rejectionem incidunt. Sunt etiam ob diathesim huic affectioni proclives, quibus vasa exilia cum imbecillitate languidum tenuemque corporis habitum reddunt. Oportet autem in omni sanguinis fluxu per os attentè inspicere, num ob plenitudinem, obstructionem, diathesim, aut omnia simul, ut saepè fit, sanguis exeat, uti juvenibus accidere consuevit (a), atque accuratè examinare, num malum longa mora invaleat, an nova neque vehementi partium affectione nascatur, ea enim cognitio ad praedicendum, & curandum maximè conducit. Inter causas efficientes primum locum tenet aër cum manifestis, tum maximè occultis viribus sanguinem è corpore rejiciens. Nimium calorem aëris fortè agitando, rarefaciendo: nimium etiam frigus siccando, constringendo, sanguinis eruptiones gignere observationibus fidis novimus (b). At certis annorum constitutionibus aegros sanguinis rejectionibus esse proclives, ex aepidemicis ab Hippocrate descriptis constitutionibus patet (c). Notatu digna est Meadii observatio de sputo sanguinis. "Invisit me quondam, inquit, generosus juvenis infir-
" miore corporis fabrica, caetera sanus, cui per sexquian-
" num redierat, nova constanter Luna, sanguinis sputum (d)."
Addit, Cockburnium Philosophiae Professorem, in ipso Lunae coitu, ex repentina sanguinis è pulmone eruptione, mortuum concidisse. Diaeta non solum per plethoram, & obstructionem, sed multis diversisque modis sanguinis per os rejectionem producit: Immodicae exercitationes tum mentis, tum corporis: aquae frigidae haustus, & aëris frigidiusculi sub sudore & lassitudine receptio: insolatus: vociferationes: casus, contusiones: vulnera, & id genus alia sanguinis sputum efficere quotidiana experientia intelligimus. Hùc referuntur venena speciali vi sanguinem projicientia, ut de serpentis haemorrois morsu narrat, summaque elegantia describit Lucanus

(a) Hippocr. *lib.* 3. *Aphor. sent.* 39.

(b) Hippocr. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 16. & 24.

(c) Hippocrat. *lib.* 1. *Epid. sect.* 2. *constit.* 3. *num.* 3. & *seq.*

(d) Mead. *de Imperio Sol. & Lun. pag.* 40.

nus (a). Animi motus nimios, ut iram, excandescentiam, laetitiam, timorem, sanguinis sputum producere, aut fovere & sopitum excitare, communi omnium consensu constat.

Quamquam sanguinis sputum aegris, & medicis per se pateat, tamen unde, quibusve ex partibus, in os confluat, sedulò investigandum. Igitur sanguis ex ore emanat sine tussi affectis faucibus, & aessophagi aut capitis vitio. Si internae oris partes fauces praesertim & gulae initia, sanguinem fundant propter aperta, disrupta, aut erosa vasa, facile ex malis linguae, gingivarum, palati, faucium, aut aessophagi dignosci potest, cum ulcuscula, tubercula, inflammationes, visu, dolore, deg'utione, innotescant. Ipse cruor ex his partibus, saliva permixtus, interdum loturae carnium similis exire solet. Dum ex capite in os profluit sanguis, crassus, nigrescens, grumosus esse consuevit: quandoque etiam tenuis, ut inter dormiendum videas quosdam seroso sanguine ex capite pulvinaria tingere. Id tamen capitis doloribus, gravitati, calori, vigiliis, nimiis animi intentionibus, aut aliis cerebri morbis succedere solet, quae omnia mala saepè ex eo minui, aut tolli ex vero dixit Hippocrates per haec verba: "Caput laboranti & circumcirca dolenti, pus, aut „ aqua, aut *sanguis* effluens per nares, aut per *os*, aut per „ aures, solvit morbum (b)." At ex dictis partibus manans cruor simplici sputatione excernitur. Cum sanguis ex thorace, & pulmone fluit, tussi valida: dum ex trachea arteria, tussicula excerni solet. Quod si titillatio in palato, & faucibus, tussiendi cupiditas sine multa tamen tussi, frequens screatus, itemque sanguis excretus subniger sit, à capite hunc descendere credendum est, praesertim ubi capitis dolor, & gravitas destillantem inde cruorem antecesserit. Jam verò si sanguis spumans, tenuis ac floridus ex intervallis per tussim sine dolore educitur, hunc é pulmone ferri sciendum est, cruor enim quem pulmo fundit omnis spumam habet, & multa quidem tussi, nullo tamen dolore, effertur. Si tunc à disrup-

(a) Lucan. *Pharsal. lib.* 9. *vers.* 806.

(b) Hipp. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 10.

rupta vena grandiore fluat, ubertim sanguis quasi vomitu quodam prorumpit, adeò ut interdum pelves etiam implesse visus sit. Qui ab aspera ducitur arteria, etsi interdum etiam spumat, dolore tamen non caret, idemque exiguus est, & parva tussi, majoreque screatu pellitur. Dum sanguis è locis trahitur pectoris profundioribus, multa, ac vehemens tussis est, ut in lateris, & pulmonis inflammatione fit, quae tamen mitior est, si cruor á superis partibus educatur. At verò qui á thorace sanguis venit subniger, est, crasus, & grumosus cum paucula spuma, isque non abundanter, at sensim vehementi sollicitatus tussi prodit, ipseque qui afficitur locus dolorem habet, qui per somnum etiam increscit. Nec solum loca quibus sanguis in os ducitur considerare, sed vasorum etiam affectiones distinguere oportet. Igitur rupta vena parva non multum cruentae profusionis: magna uberem sanguinis copiam effundit, utraque verò subitò eum emittit. Ubi ab erosione contractum vitium est, ejus evidentes causae atque notae ante fuerunt, acris scilicet destillatio, febris, tussicula cum sputo purulento, aut sanioso; neque novum est putrefactam pulmonis particulam subinde per tussim reddi, ferèque sic incidit, ut pulmonis exesis carnibus, sanguis exiguus sit paulatim sputo permixtus, erosa tamen ejus vena uberior, ut interdum abundantissimus inde cruor profluxerit. Eodem tempore quod expuitur pravi & coloris, & odoris est. Quod si sanguis qui prius ex modicis intervallis rejicitur, postea cumulatior venit, sic ut neque casus aliquis, nec exercitatio vehemens, aut quid aliud externae accesserit injuriae, magnam intus esse erosionem sciendum est. Nec ruptam nec erosam esse venam, sed apertam repletio corporis, gravitasque antecedens, nullus dolor comitans, agilitas effuso cruore sequuta, demonstrant. Sanguinis sputatio, quae ex gingivis, ore, & capite fit, non multum mali portendit: quae ex pectore, apertis venis, in foeminis ob menstrua compressa aegrotantibus, aut in viris ob haemorroides suppressas, còntingit, levamen auxiliumque mali attulisse, sine ullo vel ulceris vel ta is metu, multarum observationum fide constat. At qui ex erosis, aut disruptis partium pectoris vasis cruor per os rejicitur, nunquam discrimine vacat, ut verè Hippocrates sanguinem per superiores ex infernis partibus emitti,

ma-

malum esse pronuntiaverit (a). Dum igitur sanguis ex disrupta vena in pectore fluit, si nimius, sit, exanimare hominem potest: vel ubi intus cohibetur, praefocare, aut magna mole cor opprimens, inducta syncopa, subito occidere. Quod si haec omnia absint, vitaque maneat, periculum est, ne partes internae cum sanguine corrumpantur, idque demum contingat, quod sapienter Hippocrates adnotavit, nempe á sanguinis sputo puris sputum, ab hoc tabem facilè sequi (b). Praeter haec omnia meminisse oportet, malum hoc juvenibus esse familiare (c), atque veris, & aestatis tempore potissimum ingruere (d), eosque maximè adoritur, qui cum collo longo, colore rubente in facie perpetuò tinguntur.

Duplex curationis genus sanguinis sputatio exposcit: etenim aliud urgente casu, vires, ob nimium sanguinis fluxum, sustinendi necessitatem citò postulat: aliud, inducias morbo dante, paulatim medicationem instituendam permittit. Igitur si metus est aegrum subitò exanimari posse, omni ope succurrendus per ea quae sanguinis fluxum cohibent. *Oxycratum*, á Latinis *posca*, aqua scilicet aceto permixta affatim assumpta efficax est ad sanguinem nimio impetu fluentem compescendum. Magis adhuc pollet spiritus vitrioli ad guttas duodecim ex haustu aqua frigidiusculae assumptus. Vincula coxis, brachiis, articulis injicienda, iisdemque locis adhibenda frictio. Cucurbitulae hypocondriis, ilibus, atque inguinibus affigendae. Opiata cum adstringentibus hic quoque locum habent. Potio ex tinctura lapidis haematitis, laudano Sydenhamii, seu, ejus loco, pillulis Nicolai contra fluxum ventris in pulveris formam redactis, additis syrupo symphiti, & aqua nucamentorum salicis, quae efficacissima est ad sanguinis impetu exilientis fluxum comprimendum, plurimum valet. Imò & corticis peruviani cum laudani modica quantitate permixti usum, sanguinem nimiùm fluentem co-

(a) Hippocrat. *lib.* 4. *Aphorism. sentent.* 25.

(b) Hippocrat. *lib.* 7. *Aphorism. sentent.* 15. & 16.

(c) Hippocrat. *lib.* 3. *Aphorism. sent.* 29.

(d) Hipp. *lib.* 3. *Aphor. sent.* 20. Aret. *lib.* 2. *Morb. acut. cap.* 2. *pag.* 15.

cohibere novimus. Hinc *Electuarium peruvianum adstringens* Fulleri medicamen esse in sanguinis sputo utile, experti asserimus. Sed alterum curationis genus extra omnem urgentiae metum, in dietae regimine potius quàm medicamentorum usu consistit. Danda ergo opera est, ut aeger parcissimè cibos assumat, ut plethoram vitet: deinde obstructio, insolationes, exercitia vehementiora, venus, ira vinum, aliaque hujusmodi prorsus cavenda. Praeter haec necessaria sunt quies, securitas, silentium. Caput recte tondetur: facies saepè aqua frigida fovenda. Sed inimica sunt acriora omnia, item calida fomenta, conclave calidum & inclusum, multaque vestimenta corpori injecta. Si cruor propter ruptionem venarum fluat, aut apertionem, lac parum proficit, quín potius obesse solet, noxium enim est iis, qui multum profundunt sanguinem (a); at iis, qui ab erosione laboranr, magnum praesidium esse solet. Omnium verò remediorum maximum sanguinem spuentibus est loci aërisque mutatio, iisque per hyemem locis maritimis, per aestatem mediterraneis opus est (b). Aqua frigida in sanguinis sputationibus ex usu esse consuevit, sed sic libendum ut sciamus huic morbo sitim prodesse (c). Quod si necessarium sit ad remedia transire, fugienda imprimis sunt nimium adstringentia, eaque praescribenda, quae blandè temperant, & modicè constringunt. Althaea, symphitum, vinca pervinca, sanicula, hypericum, itemque ea quae vulneraria dici apud pharmacopolas solent, levi decoctione ex aqua simplici praeparata, ex usu esse consueverunt. Nec silentio praetereunda juscula ex praedictis herbis, carnibusque juniorum animalium parata, praesertim ubi erosio morbum fovet; atque meminisse oportet, veris tempore aut autumni venae sectiones primùm, deinde per plures dies continuata supra posita medicamina ad impediendum sanguinis fluxum plurimum posse.

APHO-

(a) Hippocr. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 64.
(b) Cels. *de Medicin. lib.* 4. *c.* 4. *pag.* 205.
(c) Cels. *de Medic. lib.* 4. *c.* 4. *p.* 204. Vid. Hoffm. *de Haemorrag. sect.* 1. *cap.* 2. *pag.* 204.

APHORISMI.

I.

Sanguinem expuentes juvat esse febris expertes, ac tussire leviter atque dolere; ipsum verò sputum crassescere ad dies bis septem. Sed febricitare multum, itemque tussire atque dolere, tum sanguinem subinde novum expuere, calamitosum (a).

Pulcherrima sententia, cujus veritatem in seipso, jam ab haemoptysi desperato, salubriter expertus est celeberrimus Duretus. Igitur sanguinem expuentes non febricitare, liberos ab ulcerationibus, & inflammatione esse indicat: modica tussis cum levi dolore non multum molestiae partium spirabilium: sputum demum temporis progressu crassescere, coctionem: quae omnia sanabilis sputationis cruentae signa sunt. Sed mirabilis naturae ordo hinc elucet, dum per dies quatuordecim expurgat quod in pectore stabulatur, atque primis diebus sputum sanguine tingitur, sensimque deposita cruoris miscella tunc demum ad decimum quartum omninò deficit. Ergo in curatione id agendum, ut adstringentibus fortioribus materia in pulmonibus non includatur, quin potius blandis concoquentibus, & expectorantibus natura juvanda.

II.

Quicumque spumantem expuunt sanguinem dextroque laborant hypocondrio, à jecore spuunt, multique intereunt (b).

Etsi Hippocrates verissimè dixerit: *Qui sanguinem spumosum expuunt, eos ex pulmone ejicere* (c), tamen malum ad pulmones aliunde irruere, omnino certum est. Jam verò consensum mirabilem partium praesertim vicinarum non est quod hic repetamus, cum in Physiologia satis monstraverimus (d) ex Hippocrate confluxum esse unum, conspirationem unam, consentientia omnia, ut mirum non sit, suppresas quas-

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 65.

(b) Hipp. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 46.

(c) Hippocrat. *lib.* 5. *Aphorism. sent.* 13.

(d) *Vide Physiolog. nostr. tractat.* 2. *Propos. XII.*

quasvis sanguinis per loca consueta evacuationes, cruore per alias vias fluente saepè suppleri. Si gibba hapatis pars inflammatione acuta, aut chronica affecta sit, facilè in consensum trahit pulmones, atque sanguis ad eos ex jecore pulsus in transitu fit spumosus. Duos casus à se observatos affert Martianus (a): ipseque duos ex hepate dolente ubertim per pulmones effuso sanguine interiisse memini. "Sed multi inte„reunt, inquit Duretus, non omnes, quoniam si validarum „virium beneficio ventum sit ad vigesimum diem manente „febre, suppuratio fit, unde nonnulla spes affulget salu„tis (b)."

III.

Conducit autem talibus (sanguinem ex pulmone rejicientibus) *si ab initio curandos suscipias, ut & venae de manibus sanguinem emittant, & diaeta à qua quam siccissimus & exanguissimus fiat* (c).

Galenus in sanguinis sputo venae sectionem celebrare solitus Medicos ferè omnes in suas partes traxit (d). An ex brachio vel pede sanguis mittendus longe discutit pro varia Auctorum diversitate Sennertus (e). "At sanguine immodicè, „inquit Martianus, symptomatis loco fluente, sanguinem ul„terius mittere praeter Hippocratis institutum esse; & si per „hujusmodi evacuationem aegrotantes non insigniter laedi „conspiciantur, quia sanguinem in pauca quantitate extra„himus, parum tamen aut nihil utilitatis inde eos persentire „existimo (f)." Igitur haec via calcanda. Si plethora adsit cum metu superventurae inflammationis, sanguis, adhuc eo fluente, parca manu mittendus; sin minus aliis auxiliis res est agenda: ita tamen ut venae sectionem in cruoris sputationibus, praecautionis potius, quàm curationis gratia instituamus.

(a) Martian. *Comment. in lib. 5. Aphor. sent. 13. pag.* 457.

(b) Duret. *Comm. in Coac. Hipp. lib* 2. *cap.* 16. *sent.* 46. *pag.* 272.

(c) Hippocr. *lib.* 1. *de Morb. sect.* 1. *vers.* 223.

(d) Vide Galen. *lib.* 5. *Method. medend. cap.* 13. & 14.

(e) Sennert. *Pract. lib.* 2 *part.* 4. *cap.* 7. *pag.* 352.

(f) Martian *Comm in l.* 2. *Hipp. de Morb. mulier. text.* 36. *p.* 278.

IV.

Neque enim omne sputum sanguinis sequens habet sputum purulentum, sed quod malignum existit, tale autem est magna ex parte quod ex pulmone educitur (a).

Post sanguinis sputum sequi puris sputationes antea ex Hippocrate adnotavimus, sed id etsi perpetuò timendum, non ubique evenire hac sententia edocemur. Cum igitur malignum fuerit sanguinis sputum, quod ex aegri habitu, febre, inflammatione, dolore, destillatione, tussi, aliisque id genus symptomatibus cognoscitur, puris sputum inde sequi consuevit; quod si secus fiat, curationis spes esse potest "nisi fluxus cruoris nimium perseveret, nam si semel »aut bis contingeret, puris sputum sequi non esset opus (b),"

V.

Neque ignorari oportet, eis quibus fluere sanguis solet, aut quibus spina dolet, coxaeve, aut post cursum vehementem, vel ambulationem, dum febris absit, non esse inutile sanguinis mediocrè profluvium (c).

Mortonus, in observandis naturae operibus accuratissimus, optimè distinxit accidentalem ab habituali sanguinis sputationem. Igitur qui sanguinem expuendo rejicit ob nimiam vociferationem, exercitium, aut ob suppressas haemorroides, vel narium haemorragiam, ut Dureto contigisse scimus (d), ex accidenti, ut ajunt, id malum patitur, quod utile & innoxium interdum esse experientia constat. At qui ob radicatum & habituale in visceribus vitium manat ex ore cruor, aut celeriter per syncopam interficit: aut per puris, deinde etiam tabis generationem, aegros consumit (e).

XI.

Nos verò fluores sanguinis alios dicimus juges, alios dimissio-

(a) Galen. *Comm. in lib. 6. Aphor. Hipp. sent.* 15.

(b) Brassavol. *Comment. in lib.* 7. *Aphor. Hipp. sent.* 15. *pag.* 1052.

(c) Cel. *de Med. lib.* 4. *cap.* 4. 203.

(d) Vide Duret. *Comment. in Coac. Hipp. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 46. *pag.* 270.

(e) Morton *de Pthisi, lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 95.

sionibus intercapedinatos, *ordine servato*, *aut inordinatos* (a). "Observatum est, inquit Sennertus, interdum per inter-"valla quaedam sanguinem è pectore quasi criticè sine om-"ni incommodo rejici, & à retentorum menstruorum ma-"lis, atque aliis, quae ex sanguinis copia proveniunt, in-"commodis liberare (b)." Sunt qui singulis annis, ut de Volusio Saturnino narrat Plinius (c), aut statis temporibus sanguinem spuunt, & ad longam senectutem perveniunt. Ex his quae sanguinis fluxum comitantur & consequuntur: ut aphorismo primo diximus, ejus utilitas aut damnum cognosci potest. Qui hac de re Medicos Uratislawienses consulet, laboris non poenitebit (d). Si cruoris rejectio bonis aegri rebus fit, totum opus relinquendum naturae à sarcina sese exonerantis; si forte curationem postulat, paucis remediis ea tentanda, inter quae corticem peruvianum caetera quaecumque antecellere cum Mortono existimamus (e).

CAPUT IV.

DE PLEURITIDE.

P*Leura* apud veteres Graecos *latus*, *costasque* significat, scilicet spatium quod ab alis ad diaphragma extenditur (f). Nostrates Anatomici *partes continentes proprias thoracis* vocant. Hippocrates aliique Graeci quemcumque dolorem earum partium *pleuritidem* nominare consueverunt. Invaluit postmodum usus apud Medicos, quos propterea risu dignos appellat Petitus (g), pleuram appellandi membranam fortem & tensam quae interius costas succingit. Nullibi, quod sciam, apud Hippocratem & Galenum *pleurae* nomen

X 2 pro

(a) Cael. Aurel. *Morbor. Chronic. lib.* 2. *cap.* 12. *pag.* 396.

(b) Sennert. *Pract. lib.* 2. *part.* 3. *cap.* 7. *pag.* 350.

(c) Plin. *Histor. lib.* 11. *cap.* 38.

(d) *Histor. Morb. Vratisl. ann.* 1701. *pag.* 243. *& seq.*

(e) Morton. *loc. citat. pag.* 96.

(f) Pollux *lib.* 2. *segm.* 165. *tom.* 1. *pag.* 234. *& alibi passim.* Ruff. Ephes. *de Appellat. part. corp. lib.* 1. *cap.* 11. Cael. Aurel. *lib.* 2. *acut. morb. cap.* 13. *pag.* 110.

(g) Petit. *Comm. & animadvers. in prim. lib. Aret. de Morb. acut. cap.* 10. *pag.* 151.

pro ea membrana sumptum invenire licet. A Galeno, Aretaeo, Aureliano *hypezocos*, id est, succingens vocatur (a). Qui igitur eam tunicam *pleuram* appellant, pleuritidem vocant dolorem pungentem cum febre acuta ex hujus membranae inflamatione natum, ita ut ex Galeni observatione quinque phoenomena apparere debeant, quorum praesentia morbum hunc necessario demonstret (b). Sunt haec: dolor pungens in lateribus: febris acuta: difficilis respiratio: pulsus durus: tussis. Posteriores Graeci & Arabes, imò & nostrorum temporum Medici ferè omnes ab hac Galeni observatione ne latum quidem unguem discesserunt. Haec dicta sint, ut Tirones Hippocratis placita de pleuritide non confundant cum nostrorum dictatis, magno fortè aegrorum detrimento, cum facilè omnis lateris dolor pro pleuritide habitus ansam erroribus in medendo praebeat. Ut ergo omnis dubitatio tollatur, ex communi Medicorum sensu pleuritidis nomine intelligendus: *Morbus acutus inflammatorius pleurae*, hoc est membranae costas subcingentis, *dolore pungente*, *febre*, *&* *respirationis difficultate conjunctus*. Quod si in lateribus dolor adsit, aut sine febre, aut sine respirationis noxa, ut malum acutum non sit, non jam pleuritidis hodierno more, sed *doloris lateris* nomine distinguatur. Divisio commutissima pleuritidis est in veram seu legitimam, & non veram seu notham. Veram appellant quam posita definitione comprehendimus: non veram quae etsi latus occupet, non quinque memoratis phoenomenis conjungitur. Sed haec divisio tam longè abest ut rem illustret, quin potius obscurat. Pleuritis communi Medicorum post Galenum calculo, ut proximè dixi, perpetuò vera esse debet, alioquin non pleuritis, sed dolor lateris est. Neque id ultro, & vocibus attentis tantum constituimus, sed pro malis inter se discernendis, cum plurimum differat quod pleuritidem omnes vocant à reliquis lateris doloribus, ut verum sit omnem pleuritidem cum lateris

(a) Galen. *de Art. curat. ad Glauc. lib.* 2. *cap.* 2 *& de Anatomic. administrationib. lib.* 5. *cap.* 8. Aret. *de Caus. & sign. acut. lib.* 1. *cap.* 10. Cael Aurel. *de Morb. acut. lib.* 2. *cap.* 16.

(b) Galen. *de Loc. Affect. lib.* 5. *cap.* 3.

ris dolore conjungi, non ex adverso lateris dolores omnes esse pleuriticox. Dum igitur Hippocratis de pleuritide dictata percurrimus, pars ad pleuritidem de qua loquimur, pars ad dolores laterum referenda; quod cum non fecerint plures Scriptores, qui omnia ad pleuritidem indiscriminatim contulerunt, nec certa, nec debita fide fundata dogmata obtrudere visi sunt. Unus pro omnibus exemplo sit Baglivius. Congessit hic Auctor aphorismos de pleuritide plures ex Hippocrate, Ballonio, Dureto. Neque probè distinxit cuinam malo congruerent; inde nata vana spes Medicinae studiosorum, cum credentes de aegris pleuriticis certas habere observationes, in ipso praxeos exercitio inculpati falluntur. Altera pleuritidis divisio est in humidam quae sputationibus, & siccam quae sine sputis cursum peragit. Caeteras divisiones in benignam & malignam: epidemicam & sporadicam: primariam & secundariam, aliasque hujusmodi, utpote omnibus morbis communes, omittimus. Sed silentio praetereundae non sunt divisiones pleuritidum à Bianchio adductae in *Historia Hepatica*, dum scilicet pleuritidem ait esse inflammatoriam, catarrhalem, mixtam seu lymphatico-sanguineam, spasmodicam, stomachalem seu verminosam, hepaticam, biliosam, quas sigillatim percurrit, notisque non contemnendis illustrat. At reipsa omnes hac non pleuritidum, sed humorum, partium affectarum, & symptomatum hujus morbi differentiae sunt, cum pleuritis perpetuis characteribus, quaecumque demum illa fuerit, stipata esse debeat. Accedit, quod excrementa in hoc malo per sputum rejecta non causa, sed plerumque morbi effectus esse solent, atque adeò non ejus diversitatem, sed varios laedendi modos demonstrant. Idem judicium esto de differentiis pleuritidum quas adducit de sauvages in *Nosologia*, quod non modo de hac affectione, sed de caeteris ab hoc Scriptore, alias laudando, propositis, ut plurimum valere censemus. Pleuritis morbus est in intemperie, & organo vitiatis, ut de omnibus inflammationibus in Pathologia monstravimus: ac licèt verum sit, non ubique tumorem inflammatorium in pleuriticis adesse, tamen phlogosim saltem reperiri indubium est. Pars affecta in hoc morbo est pleura, sicut in laterum doloribus musculi pecto-

toris, cartilagines costarum, articuli ossium esse solent. Sed cum pleura internas omnes thoracis partes investiat, inde fit ut modò pars superior afficiatur, modò inferior: interdum diaphragma, non raro mediastinum: nunc anteriores, nunc posteriores partes morbus occupet: neque in uno tantùm loco subsistat, sed saepe vagando magnas mirasque mutationes exerceat.

Inter causas occasionales pleuritidis maximum locum plethorae deberi observationibus constat, cum videamus, Hippocrate etiam monente, robustos homines & exercitatos facilius pleuritide quam debiles corripi, ex eaque interire (a). Obtructio partium pleura obductarum viam facillimam pleuritidi parare solet. Ex humoribus crudis, serosis, pituitosis, biliosis, sensim circa diaphragma, costas, articulationes, in ipsaque pleura collectis nullo negotio fit congestio, pleuritidi inducendae opportuna. Si igitur his accedat diathesis, qua collecta excrementa inflammationem, acrimoniam, corruptionem, in his locis adquirant, hunc morbum inde sequi necesse est. Hac speciali diathesi fit, ut humoribus in pectore congestis alii in asthma, alii in pleuritidem, alii denique in varias respirationis laesae affectiones incidant. Neque inutile erit monere eos pleuritidi opportuniores esse, quibus latus, aut nativa constitutione, aut casu, vulnere, contusione, vel alio quovis modo imbecillum est, cum morbi omnes, quibus humorum fluxio conjungi consuevit, partes infirmas occupare soleant. Inter causas efficientes omnium potentissima est aër, cum qualitatibus manifestis, cum maximè viribus occultis pleuritidem creans. Incipiente vere pleuritides communes esse, omnibus notum est. Forte agitatio cum calore ab aëre inducta humores dispositos inflammat, morbumque producit. Si quis post vehementem laborem, corpore cum sudoribus excalefacto, aurae frigidae sese committat, aut aqua frigidissima sese ingurgitet, celerrimè in pleuritidem saepè lethalem illabitur. Sed vis aëris occulta cernitur in epidemicis constitutionibus pleuritidum, quas in alieno solo ex optimis Scriptoribus, in proprio sat frequenter

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 29.

ter inviti videmus. Diaeta improvidè observata malum hoc saepè excitare consuevit. Nimius alimentorum, vini, & veneris usus: violentae exercitationes: sanguinis suppressiones: humorum ad cutem prorepentium retrocessus: idque genus alia tam prompta sunt ad generandam pleuritidem, ut frequentissimè homines in hunc morbum his de causis incidant. Neque est quod immoremur in tradenda vi pathematum animi ad pleuritidem creandam, cum ob iram, laetitiam insolitam, metum, & stuporem subitaneum, id mali genus quosdam perpeti, quotidianis observationibus videamus.

Pleuritis viros potius quàm foeminas, juvenes quàm senes, fortes magis quàm languidos, rarenter admodum pueros, adoritur. Nullo non tempore, sed praesertim sub hyemis finem, & veris initium invadit. Interdum antecedunt lassitudines, ciborum fastidium, frigora insueta, solitae sanguinis excretiones suppressae, aliaque id genus incommoda; saepè autem subitò & insperatò ingruere consuevit. Sub ipsis initiis aeger frigore & tremore totius corporis (rigorem Medici vocant) corripitur, quem subinde febris sequitur acuta, dolor latus infestans, nunc supernè, nunc infernè, modò fixus, interdum vagus, pungens tamen ac veluti locus affectus intendatur: respiratio parva & celer: ex longis intervallis tussicula, primùm arida, dein cum sputationibus variis: difficilis super latera jacendi positio: vigilia: corporis siccitas: lingua albescens cum pallore: urinae flammeae: pulsus durus. Crescente morbo praeter haec omnia, facies cum hilaritate rubescit: sputa aegrè exeuntia, sanguinolenta, subflava, aliquantulum spumosa, nec ordinem nec tenorem servantia, sed aliàs alia advenientia, ac recedentia: lingua exsiccatur: febris remittit horis matutinis, caetera intenditur: sudor inanis: urina frenquenter atque paulatim mingitur: respiratio difficilis: decubitus supinus: sitis: oculorum rubor, quibusdam flavedo. Pleuritide ad statum accedente, omnia haec ad summum vigoris apicem perveniunt. Respiratio non nisi erecta cervice, aut saltem aliquantum elevato corpore fieri potest: tussis crebrior cum copiosiore sputatione: dolor minus infestat, sed febris aliaque mala ingravescunt: pulsus inaequales, celeres, duriusculi: lingua resiccata: somni

te-

tenues: inquietudo cum anxietate: articulorum frigidus torpor. Affectio haec aut in mortem, aut salutem, vel in alios sese mutans morbos terminatur. Igitur pleuritis in statu constituta aegrum ad interitum ducit, quoties praeter dicta mala nimiùm aucta, sputum supprimitur: aut flavum, viride, vel nigrum expuitur: si facies sit tristis, livescens cum gutturis stridore: sudor adsit circa caput & frontem: mentis alienatio cum somnolentia: spiratio celerrima: pulsus inordinatus, nunc vacuus, nunc deficiens: corporis gravitas: alvus liquidis fluens excrementis: stertor ex imo pectore in guttur gurgitis modo ascendens: his enim omnibus, aut magna ex parte concurrentibus, cita & inevitabilis mors expectanda est. Quod si pleuritide increscente, & ad statum properante sputum ex facili ejiciatur, sitque album, modicè tenax, & spumosum, leve ac aequale ut coctum vere dici possit: venter biliosa foeculenta cum tolerantia excernat: spiratio libera: dolor imminutus sic ut aeger leviter ferat morbum: neque sitis adsit, nec in pectore strepitus: ad haec somnus, sudor, urinae, probae sint: totumque corpus aequali calore temperatum, ac molle, in sanitatem tendere credendum. Morbi in quos pleuritis transire solet, sunt peripneumonia, & suppuratio, quae à Graecis *empiema* dicitur. Ergo dum pleuritide ex augmento ad statum tendente, aegri genae rubent, dolor ex acuto & pungente fit gravis & obtusus, respiratio nimium offenditur, omniaque symptomata ingravescunt, peripneumoniam adesse indicium est. Sed ubi hujus morbi dolores non conquiescunt, neque misso sanguine, neque sputorum excreatione, neque victu, neque fomento, aut medicamentis, cum tamen non lethaliter affectus aeger videatur, scire licet suppurationem fieri, quod magis elucescit, si intra dies quatuordecim malum sputis non vincatur, dolor permaneat, ac febris inordinatis motibus exacerbetur. Omnis pleuritis morbus est acutus, magis aut minus pro aegri, temporis constitutiones, symptomatum varietate. Neque unquam periculo caret: maximèque perniciosa foeminis uterum gerentibus, & quibus secundo jam tertiove recurrit, esse consuevit. Omne tamen morbi hujus discrimen ferè maximum esse vel septimo, vel nono, aut undeci-

cimo die solet. Idque non omittendum, ut ex recentiorum observatione constat (a), pleuritidem & peripneumoniam simul decimam partem complere eorum morborum, qui in Nosocomiis observantur.

In curatione pleuritidis, instituto victu tenui & temperante confestim ad venae sectionem recurrendum, nulli enim auxilio hoc mali genus nisi sanguinis extractioni cedere solet. Igitur primo die, nulla interjecta mora, sanguis educendus, idque repetendum usque in diem quartum juxta morbi vehementiam, aegri vires, caeteraque á Medicis in venae sectionis usu contemplanda. Quid significet, à quibus causis fiat crusta alba in sanguine pleuriticorum apparens, satis in Physiologia monstravimus (b). Extrahendus ergo sanguis ex brachio lateris affecti; observationes enim practicae satis docuerunt in inflammationibus quarumvis partium venas parti affectae vicinas esse secandas, ut malum in ea congestum dissolvatur (c). Scio equidem magnam hac de re sub initiis saeculi decimisexti excitatam esse controversiam: aliis, Graecorum, ex vena proximiori: aliis, Arabum, ex opposita sanguinem educentium, partes sequentibus. Hanc disputationem pro tuendis Graecorum partibus exagitavit Petrus Brissotus Gallus in Academia Parisiensi, doctissimorum hominum parente faecundissima, atque summis inter Medicos excitatis dissidiis res tandem eò devenit, ut liberum cuique fuerit Graecorum, aut Arabum sententiam, pro suo quisque arbitrio, sectari. Dignus est qui de hac re legatur Renatus Moreau Parisiensis, qui doctrina & eruditione praeclarus Brissotum defendit & illustrat in dissertatione de *Missione sanguinis in Pleuritide.* Michael Hieronymus de Ledesma, qui graecè & latinè, ut si quis alius, intelligebat, primus fuit qui in Scholis Valentinis Graecos, Arabum jugo excusso, in scenam induxit, non solum in quaestione de qua loquimur sed in Medicinae fundamentis superstruendis, indeque factum, ut Academia Valentina Graecos Medicinae Parentes tan-

 quam

(a) Sauvag. *Nosolog. method. class.* 3. *num.* 13. *pag.* 449.

(b) *Vide Physiol. nostr. tract.* 3. *Prop. XXII. num.* 100.

(c) Vide Martian. *Comm. in l. Hipp. de Sterilib. vers.* 446. *pag.* 298.

quam Magistros ad juventutem medicam erudiendam summa cum laude, & aegrorum utilitate susceperit (a). Interea non defuere inter nostrates, qui arabum, longo saeculorum intervalo agitatam, sustinuere doctrinam, inter quos non infimum occupavit locum Georgius Gomezius Toletanus in tractatu ea de re edito; multaque veterum, tum Graecorum, tum Arabum eruditione, referto. Horum omnium labores auctoritati veterum elucidandae unicè intendebantur, cum non quid agendum experientiae praescripto, sed quid Graeci aut Arabes senserint, quaereretur. Sed cum experientia satis innotuerit venam ex ipso latere dolente sectam certius juvisse, propterea missionem sanguinis ex ea efficiendam in pleuritide censemus. Circa medicamentum purgans in hoc morbo dissident inter se gravissimi Scriptores, cum in eo ad infernas costas & laterum mollitudinem descendente, catharticum praescribendum moneat Hippocrates (b). Sed eum locum non esse intelligendum de pleuritide, de qua hic loquimur, sed de laterum doloribus, ipse sententiae sensus declarat. At vero cum ea quae iflammantur, ex Hippocratis praescripto, medicamento purganti educi nec possint, nec debeant sine magno discrimine (c), neque cathartica in febrientibus locum habeant donec remiserit febris (d), inde quivis intelliget hujusmodi medicamina nullum unquam in pleuritede locum habere. Specifica adversus hunc morbum virtus in mandibula lucii piscis, dentis apri, sanguine hirci, aliisque id genus medicamentis, commentitia est. Nimius quorumvis remediorum usus maximè noxius, ne exceptis quidem diluentibus, emollientibus, & expectorantibus, natura enim non minus medicamenta quam alimenta coquere debet ut sint utilia, ipsaque morbo gravata, impotens omninò est ad remediorum farraginem sustinendam, &

(a) Brissotus. *eam doctrinam propagare coepit. anno* 1514. *in Gallia.* Ledesma *anno* 1546. *in Hispania.* Gomezius *scripsit anno* 1539.

(b) Hipp. *de Vict. acut. sect.* 2. *v.* 21. Vid. Mart. *ad hunc loc. p.* 379. *& seq.*

(c) Hippocrat. *de Vict. rat. in acut. sect.* 4. *vers.* 35.

(d) Hippocrat. *de Medicam. purgantib. vers.* 29.

& ut in Scholis dicitur, *actuandam.* Quapropter uti veteres Medici, sapienter quidem, á cibis in acutis morbis abstinebant, pari ratione á medicamentorum multitudine abstinendum utique convenit. Paucis ergo juvanda natura, nempe concoquentibus, & sputum maturum exturbantibus. Igitur syrupus violarum, de mucilaginibus, hederae terrestris: decoctum liquiritiae, hordei, altheae, additis passullis, aut jujubis: aqua papaveris rubri, scabiosae, tussilaginis: aliaque id genus plura pro diversitate temporum morbi variè praescripta, aliquod solatium aegris inducere consuevere. Oleum amygdalarum dulcium recens sine igne extractum: oleum etiam seminis lini, dum multa viget siccitas, ad emolliendas laxandasque internas partes in hoc morbo prodesse possunt. Fugienda sunt medicamenta calida, spirituosa, volatilia, tanquam summè noxia, neque titulo sudores movendi praescribenda, nam etsi verum sit sudores debito tempore, cocto jam morbo, elicitos utiles esse, non quidem id medicaminibus est tentandum, cum notum omninò sit, nullum hactenus cognitum esse remedium, quod vi propria & speciali sudare faciat, quemadmodum dantur quae vi insita per alvum expurgant, ut in tractatu de Febribus jamdiu monstravimus. Cum igitur quae sudorifera vulgò dicuntur nihil aliud efficiant quam corpus agitando & calefaciendo resolvere, indique *ex accidenti*, ut ajunt, sudores extorquere, minimè in pleuritide ea praescribenda, nisi temerario ausu velit Medicus naturam irritando corrumpere. Externis partibus prosunt laxantia ex oleis lini, amygdalarum dulcium, unguento altheae conflata. Decocta herbarum emollientium spongia imbibita, lateri applicata prosunt, sicut vesica bubula lacte calido repleta. Cucurbitae balsamum olim ex usu esse videbamus, sed postquam nimia in elaborando curiositate Pharmacopaei, relictis practicis observationibus, ferrum ipsi immiscuerunt, non solum inutile, sed adstrictione noxium esse deprehendimus.

APHORISMI.

I.

Qui acidum eructant non admodum pleuritici fiunt (a).

» Numquam eos pleuriticos fieri (inquit Trillerus qui elegantem de pleuritide commentationem, cedroque dignam composuit) » qui acidum ructant, docuit experientia praeeunte, Hippocrates.... quia nempe habent vasa debilia, sanguinemque tenuem, fluidum, nec facilem inflammari (b)." Adde, eos quibus frequens & habitualis est ructus acidus, ataxia spirituum, corporis laxitate laborare cum transpirationis copia: quae omnia ad pleuritidem minimè disponunt, cum morbus hic robustiores adoriri soleat, atque ex eo exercitata & densa corpora citius intereant, quàm laxa in otio degentia (c).

II.

Pleuritide, aut peripneumonia correpto alvi profluvium superveniens malum (d).

Dixit Hippocrates: *Fieri non posse ut pleuritis, & peripneumonia vigeant, ubi alvi liquidae existunt* (e). "Et recordor, inquit Avenzoar, quod pater meus bonae memoriae mihi dixit, quod habentes ventrem solubilem non valde pleuritici fiunt..... & ab eo tempore usque quo hunc composui librum, experimento cognovi (f)." Igitur alvi fluxu facile corripi ob languorem, & *ataxiam*, praeservat á pleuritide, sicut ructus acidus; sed alvum habere fluidam ob nimiam ingestorum copiam, humorumque abundantiam ab eo morbo non liberat, quin potius cum eo ad interitum ducit, ut optimè adnotavit Ludovicus Septalius in politissimis, utilissimisque Commentariis ad Hippocratis librum de *Aere, aquis,*

(a) Hippocrat. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 33.

(b) Triller. *de Pleuriti. Aphor. n.* 15. *pag.* 3. *& cap.* 1. *n.* 14. *pag.* 10.

(c) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 1. *cap.* 16. *sent.* 29.

(d) Hippocrat. *lib.* 6. *Aphor. sent.* 16.

(e) Hippocr. *de Aër. aq. & loc. sect.* 1. *vers.* 58.

(f) Avenzoar. Theizir. *Proem. pagin.* 143. *Vide Illustrat. nostr. ad Hippocrat. Prognostic. sect.* 2. *num.* 14. *pag.* 96.

aquis, *&* *locis* (a). Quod ad eos attinet, qui pleuritide aut peripneumonia occupati, alvi fluxu corripiuntur, optimè rem tetigit Trillerus. "Diarrhea, inquit, ab initio morbi supervenient periculosa admodum, & plerumque, non tamen semper, letifera est, *passionis enim magnitudinem docet*, ut loquitur Caelius Aurelianus; sed eadem in morbi progressu & mitigatis jam saevioribus symptomatibus succedens, salutaris est, & aegrotum citius ad sanitatem perducit (b): adderem & ipse, praesertim si conferentia, & tolerantia eam comitentur.

III.

Rarissimè, imò plus dicam, nunquam ferè moriuntur, quibus post venae sectiones dolor laterum in claviculas & omoplatas protenditur, aut in dorsum propagatur (c).

Non adhuc certus sum, fateor, per proprias observationes de universali hujus dogmatis veritate; sed id placuit inter aphorismos collocare ob summorum virorum auctoritatem, nempe Trilleri, & Vanswietenii: Hujus verba haec sunt: "Ubi autem humerum, scapulas, dorsum dolor occupat cum levamine doloris pleuritici manifesto, laeta prognosis est, & evadunt ferè omnes: saltem non memini me ullum vidisse pleuriticum qui periit hoc morbo, dum illa metastasis ad has partes aderat (d)." Id tantum superest, ut attentis observationibus prognosis haec ulterius innotescat.

IV.

Lateris dolor in sputo bilioso, quì immeritò evanuit, insaniam facit (e).

Si in statu pleuritidis, rectè prodeunte sputo, mitigata febre cum symptomatibus, cesset dolor, salus spectanda, ea enim sunt signa levaminis veri, non fucati. Quod si crudo morbo, multumque exasperato evanescat dolor, aut transi-

(a) Septal *Comm. in lib. Hipp. de Aër aq. & loc. comm.* 2. *n.* 6. *p.* 90.

(b) Triller *de Pleurit. Aphor.* 27 *&* 28. *pag.* 4.

(c) Triller. *de Pleurit. aphorim.* 29. *pag.* 4.

(d) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 888. *pag.* 27.

(e) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 56.

situm pleuritidis in peripneumoniam, vel phrenitidem, aut gangrenam significat. Mutationes has ex historia adducta quivis intelliget, peripneumonia enim parum doloris, multum periculi alit. Phrenitis mentem avertit á rebus sensibilibus, atque permanente doloris causa efficit, ut non sentiatur (a). Sed ex transitu pleuritidis in phrenitidem & peripneumoniam paucissimi evadunt. Omnium tamen mutationum pessima est in gangrenam, cum dolor deficit ob extinctum sensum partis affectae, tunc enim nullus est remedio locus. Ergo dum deficiente dolore in pleuritide multus adest in pectore stertor, facies tristis, oculus caligine perfusus, pulsus parvi, densi, celeres, nihil agendum per expectorantia, quantumvis accommodatissima, ea enim humores agitando nec excludendo ob infirmitatem & extinctionem lateris, aegri celerius moriuntur (b).

V.

Quibus pleuriticis continuò lingua bile suffusa est, septimo judicantur: quibus autem tertio aut quarto, ad circiter nonum (c).

In pleuriticis linguae color, & siccitas, brevitates morbi aut longitudinis certa dat indicia. Lingua in ipsis initiis sicca intra quartum diem, aut septimum morbum finiendum demonstrat: si siccitas post quartum appareat, ad nonum aegritudo extenditur: si post septimum ad decimumquartum. His si addas apparitionem sputi, certius inde praesagium sumes, nam quo citius sputum apparet, eo brevior est pleuritis (d). Nec in pleuritide tantum morbi durationem indicat lingua, sed in febribus ardentibus, aliisque inflammatoriis morbis id significare alibi ostendimus (e).

VI.

Quibus autem pleuriticis initio quidem dolores sunt mites, in-

(a) *Vide Pathol nostr. tract. 3. prop. 13. pag.* 525.

(b) Vide Hipp. *Coac. Duret lib. 2. cap.* 16. *sent.* 11. *pag.* 239.

(c) Hippocrat. *Coac. Duret. l.* 2. *cap.* 16. *sent.* 5.

(d) Vide Hipp. *lib.* 1. *Aphor. sent.* 12.

(e) *Vide Tract. nost. de Febrib. ling. vernacul. cap.* 4. *num.* 8. *pag.* 65.

ingravescunt autem quinto aut sexto, facile ad duodecimum usque perveniunt, ac rarò illi servantur: pericilitantur autem potissimum septimo, aut duodecimo (a).

Hanc sententiam veram deprehendi in pleuritide incocta. Monuit Galenus (b) dari pleuritides coctioni omninò repugnantes, quas duobus modis fieri observamus. Primum, dum pleuritis est sicca & sine sputo ob materiae obstruentis crassitiem, & renixum. Secundo, cum materia, etsi fluxilis, coctionem minimè admittit ob aqueam, biliosam, atraebilis participem naturam, quam perpetuò cruditas indomita comitatur. Quaecumque demum illa fuerit, recrudescit dolor per naturae conatus, diebus criticis excitari solitos: & cum materiae coctio non succedat, mors ferè certa supervenit. Hinc minimè audiendus Freindius, qui omnem pleuritidem simplicem, sine sputo esse debere, contendit, nec magis pleurae inflammationi, quam pedis, sputationes congruere (c). Sed nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.

XII.

Sputum oportet pleuriticis omnibus & peripneumonicis, tum ex facili, tum cito expurgari, ac flavum sputo exacte permixtum (d).

VIII.

Pravum est autem & flavum sincerum, & glutinosum, & album, atque rotundum, & viride multum, & spumosum, item livescens, & aeruginosum; at pejus illud quod ita merum est, ut nigrum appareat (e).

In Physiologia monstravimus, omnes bilis praeternaturales formas, sicut pituitae, in quavis corporis parte generari (f), dum scilicet pars quaevis nimio, morbosoque fervore usta, & nativum humidum & humores ibi appellentes

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16 *sent.* 10.

(b) Galen. *de Loc. affect. lib.* 5. *cap.* 3.

(c) Freind. *Comm. de Febr. num.* 5. *pag.* 24.

(d) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 10.

(e) Hippocrat *Coac. Duret. loc. citat. sentent.* 14.

(f) *Vide Physiol. nostr. tract.* 3. *prop. XX. & XXI.*

tes in biliosam, aut pituitosam indolem convertit. Ergo sputum facilè & citò ejectum vim naturae, vias accommodatas, materiei proportionem ut expellatur, indicat: quod si inter biliosum & pituitosum exacta est permixtio, coctio significatur, cujus proprium est discreta miscere; ex adverso flavum, glutinosum, viride, spumosum, nigrum prodire sputum, magnum cum partium affectarum speciali corruptione incendium demonstrat, quod vitii genus rarissimè à natura, quovis artis auxilio adjuta, vinci potest.

IX.

Omne verò sputum quod non sanat dolorem, pravum est, quod autem sanat, beneficum (a).

Etsi sputa careant conditionibus antea propositis, non propterea bona censenda, nisi dolorem (intellige morbum cum symptomatibus) minuant. Vidi pleuriticos plurimum spuentes, longo tamen morbo consumptos, alios, repentè suppresis sputationibus, suffocatos. Regulam ergo certissimam praescribit sequens aphorismus.

X.

Est autem perinde his atque peripneumonicis salutare alacriter morbum ferre, doloris vacuitatem habere, ipsum verò sputum facilè expurgari, spirare ex facili, sitim nullam, corpus aequaliter molle & calidum: ad haec somnos, urinas, dejectiones salubres. Contraria horum terrifica. Atque haec omnia si conjuncta fuerint cum sputo praedicto, utique morbo defungi poterit (b).

In Illustrationibus ad Hippocratis Prognostica haec omnia longè discussimus, neque est, cur hic molestè repetamus (c). Id tantum advertere licet, ob partium affectarum languorem, multam in pleuritide aliquando coacervari sputorum materiam, quae licet ejiciatur, non levat, quia interius permanet continuus generationis focus, non facilè tollendus. Ex sputationum cruditate, copia, aegri imbecillitate,

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. loc. citat. sent.* 18.

(b) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 21.

(c) *Vide Illustr. in Hipp. Prognost. sect.* 2. *text.* 51. *pag.* 182.

te, nulloque fido levamine, id malum conjicere licet. Quod si quae in hoc aphorismo proponuntur integre adsint, res est sub tuto.

XI.

Quibus cum dolore lateris, non tamen pleuritico, levis adest aut modica perturbatio, evadunt phrenitici (a).

Lateris dolores, non tamen pleuritici, etsi multifariam apparere soleant, tripartito tamen dividi possunt, eosque suis aphorismis comprehendemus. Ergo per certas annorum constitutiones fieri solent laterum dolores fugaces, vagi, inconstantes, nunc supernas nunc infernas, nunc dextras nunc sinistras thoracis partes invadentes cum febre acuta, saepeque maligna "atque dolor talis, inquit Duretus, non est ve- "rè pleuriticus (b)." Hujus mali terminus esse solet peripneumonia ubi in pulmonibus sedem figit, aut phrenitis si septum transversum occupet: solemne enim Hippocrati fuisse, eos appellare phreniticos, qui ex inflammatione diaphragmatis delirant, jam antea vidimus. Quocumque autem modo contingat mali mutatio, in interitum ducit, nisi maturé succurratur, non quidem venae sectionibus ut fit in pleuritide, sed vomitum excitantibus medicamentis in ipsis morbi initiis, antequam in aliquo loco dolor fixus sit: deinde his auxiliis, quae febris & aegrotantis conditio postulent.

XII.

Quibus in febre lateris dolor incidit si quidem perliquidis & biliosis profusè alvus feratur, mitescit; sin autem collapsa maneat appetentia, ac tunc sudores cum saturato faciei rubore prorumpant, fluente alvo & supersite cardialgia, hi cum diutius aegrotarint, peripneumonico modo intereunt (c).

XIII.

Lateris dolor cum febre diuturna, pus eductum iri significat (d).

(a) Hipp. *Coac. Duret. l. c. sent.* 49.
(b) Duret. *loc. citat. pag.* 274
(c) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 1. *sent.* 73.
(d) Hippocr. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 99.

Lateris dolor hic symptoma febris est ea lege, ut modo febris sit acuta ut in priori, modo longa ut in posteriori sententia dicitur. Observatione didici laterum dolores febribus quandoque supervenire, quae si acutae sint, alvi fluxu sanantur, fortè quia febri fomitem dederat destillatio in thoracem prius, inde in ventris partes decumbens, ut in aquilonia constitutione contingit. At lateris dolor cum febre diuturna perpetuò malum praenuntiat, frequenter enim suppurati, interdum peripneumonici moriuntur. Lectu digna est historia uxoris Eusenii ab Hippocrate enarrara cum nostri Vallesii doctissimis Commentariis (a).

XIV.

Dolores & in lateribus & in pectoribus & in aliis partibus, si multum differant, considerandum (b).

In lateris & pectoris dolore major minorve morbi vis ex attenta ejus vehementia, facultatis robore, & temporis constitutione innotescit. Sunt qui lateris dolore pungente cum sputis sanguineis, febre, anhelatione correpti quarto die feliciter judicantur, ut Pisistrato apud Hippocratem contigisse legimus (c), & non semel me vidisse recordor. Naturae vis ad omnia vincenda praestans est. Temporis constitutio non modo laterum dolores, sed ipsam pleuritidem benignam, aut malignam reddit. Post tusses epidemicas lateris dolores boni moris vidit Sydenhamius (d); ego autem memini, certa anni constitutione, post catarrhum, lateris dolores saevissimos obortos. "Atque hoc quidem mihi ideo „reticendum non erat, quod existimem, dubio illum tra„mite errare, atque incerto duci filo, qui in febrium cu„ratione non continenter ob oculos habet anni constitutio„nem (e).

XV.

(a) Valles. *Comm. in lib. 7. Epidem. Hipp. text. 46. pag.* 406.

(b) Hippocrat. *lib. 6. Aphorism. sent.* 5.

(c) Hippoc. *lib. 7. Epid. text.* 44. Vide Valles. *Comm. in hunc loc. pag.* 405.

(d) Sydenham. *Observat. Medicar. sect. 5. pag.* 49.

(e) Sydenham. *loc. citat.*

XV.

Morbo quidem laterali, & phrenitide, magna ex parte, per tertium diem accessiones fiunt (a).

"Mihi contigit, inquit Vallesius, videre pleuritidem „verissimam quidem, & omnia pathognomonica signa haben„tem, intermittentem tamen, ita ut homo alternis diebus „pleuritide, alternis nullo morbo teneri videretur (b)." Innuit & tertianae typos aemulari pleuritidem biliosam Mercurialis, vir recondita eruditione praeclarus (c). Bianchius biliosas describens pleuritides cum emetico curatas, sine emetico lethales, periodos habere tertianarias aperte monstrat (d). Sed horum gravissimorum Scriptorum pace dixerim, dolores esse lateris quos referunt, non pleuritides, quae etsi febres habeant incrementis & remissionibus compositas, non tamen in absolutam intermissionem perveniunt. Ex adverso, ex intermittentibus tertianis & quartanis malè tractatis lateris dolores pleuritidis aemulos supervenisse periculosissimos, vidimus non semel in nostra praxi, atque alibi satis explicavimus (e). Quemadmodum in tertianis perniciosis decubitus, ut ajunt, fit in partes principes, interdum accidit, ut in accessione ingruente non modo in intermittentibus, sed in continuis tertianae naturam aemulantibus, dolor lateris pungens excitetur cum sputationibus, à vera pleuritidis ratione longè diversus. Prodest in hoc casu venam secare, parca tamen manu: emeticum postea praescribere: tum demum cortice peruviano malum fugare. "Defervescente, „inquit Bianchius, declinataque biliosa pleuritide simplici, „mansuefacto dolore, & quodam febris circuitu post duo„decimam superstite cum aliqua quotidie horripilatione aut „perfrigeratione, omnia usu leviusculae tincturae corticis pe„ruviani feliciter sublata quandoque experti sumus (f)."

 XVI.

(a) Galen. *Comm. in lib.* 1. *Aphor. Hipp. sent.* 12.

(b) Valles. *Comm. in Epid. Hipp. lib.* 1. *sect.* 3. *text.* 10. *pag.* 29.

(c) Mercurial. *Praelect. Bononiens. in lib. Hipp. de Ration. vict. in morb.*

(d) Bianch. *Histor. hepat. part.* 3. *pag.* 688.

(e) *Vide Illustrat. ad Hipp. Epidem. lib.* 1. *sect.* 3. *pag.* 145.

(f) Bianch. *Histor. hepatic. part.* 3. *pag.* 251.

XVI.

Dolores, qui latus invadunt sine febre, aequaliter ubi sine signis subsistunt, phlebotomia offendit, quamvis & cibi fastidiosus ac tumido sit hypocondrio: tum quibus perfrigeratio est cum torpore febris expertibus sanguinem detraxisse nocet, nam cum sibi mitius esse putant, intereunt (a).

Sequuti sumus lectionem Dureti à doctissimo Mackio approbatam in verbis illis *sine febre*, cum caeteri codices communiter legant *cum febre*. Habemus hic tertiam dolorum lateralium non pleuriticorum classem, dum scilicet in latere fixi sunt sine febre, in quibus noxiam esse phlebotomiam docet Hippocrates. In pleuritide non modo utile, sed necessarium esse venam secare ex vi & indole morbi, communi saeculorum calculo ab antiquissimis usque temporibus comprobatum est: pauci autem, qui, Helmontio duce, ab hoc auxilio abhorruere vel in despectum sapientium inciderunt, aut proprii erroris ipsi poenas luere visi sunt. At in laterum doloribus, de quibus in his aphorismis egimus, non aequè certo de sanguinis missione statuendum, nam etsi eam modicè tentatam tolerent qui cum febribus continuis vehementibus adveniunt, non ita cum febribus lentis, aut sine febribus procedentes, cum à materia cruda, vermibus, flatibus nasci possint, imò & ex impuritatibus ventris non raro originem ducant. Id advertendum restat, in pleuritide venae sectiones usque ad quartum diem esse faciendas, eo enim transacto metus est ne sputum supprimant, quod aegrum esset jugulare. Jure optimo Duretus adversus eos invehens, qui nulla sputorum ratione habita, quovis morbi tempore venas aperiunt, inquit: "tale sputum „promoveri debet iis quae expurgationem juvant molliendo, „leniendo, & sputum ciendo, non autem sanguinis detrac„tione retrahi & impediri; quod usu venire videmus non „sine moerore & nemesi ab istis pragmaticis vulgo dictis, „qui omnem pleuritidis curationem exigunt in sanguinis de„tractione saepius iterata, quamdiu pleuriticus hujusmodi „sputa expurgat cum spe salutis praedivite. O homines Rei-

"pu-

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *Corollar. pag.* 370.

„publicae calamitosos atque funestos! Ipsam pleuritidem, „quae sua sponte nullius operis indigens cum tali sputo „quiesceret, ex eventu reddunt mortiferam (a)."

XVII.

Si dolor lateris ad claviculam de se significationem praebet, aut gravitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transversum, venam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro & rubicundo lividus: utrumque enim contingit. Si verò sub septo transverso fuerit dolor, ad claviculam autem de se significationem non praebeat, alvum mollire oportet, aut veratro nigro; aut peplio (b).

Mirum! quot turbas inter Medicos locus hic Hippocratis excitavit, contendentibus aliis, nunquam in pleuritide praescribendum catharticum: aliis id admittentibus in eo doloris situ, quo ad ventris partes vergere videtur. Apud Mercurialem, Sennertum, Martianum longae prostant hac de re disputationes (c). Sed Heredia noster adversus Galenum jure invehit, qui hanc Hippocratis sententiam de pleuritide commentatus est, cum de dolore lateris non pleuritico potius intelligenda sit (d). Ergo in vera pleuritide de qua hic agimus venae sectio certum remedium est, purgatio noxia. In dolore lateris ad claviculam pertingente potest sanguis mitti cum fructu, dum á materia morbillosa, variolosa, arthritica, aut aliàs per febres corrupta, nascitur. Potest etiam prodesse sanguinis missio in dolore ad partes septo transverso inferiores sese extendente, si ab hepatis aut diaphragmatis inflammatione oriatur, ut interdum fieri solet. At dolore lateris, ventris partes etiam occupante, seu cum febre,

---

(a) Duret. *Comm in Coac. Hipp. lib.* 2. *cap.* 16 *sent.* 9. *pag.* 237.

(b) Hippocrat. *de Vict. rat. in acut. sect.* 2. *vers.* 17.

(c) Mercurial. *Praelect. Bononiens. in lib. Hippocrat. de Vict. rat. in acut. p.* 405. *& seq.* Sennert. *Pract. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 16. *pag.* 314. Martian. *Comment. in lib. Hippocr. de Ration. vict. in acut. sect.* 2. *vers.* 21. *pag.* 379.

(d) Hered. *de Morb. acut. sect.* 4. *disp.* 1. *cap.* 4. *pag.* 117.

bre, seu sine illa, videndum, num à latente dictarum partium inflammatione, tum pectus tum hypocondria in consensum trahente, dolor fiat, an à putridis in ventre hospitantibus humoribus, vermibus, & id genus malis: nam sicut in primo casu vena est aperienda, ita in secundo, loco venae sectionis quae noxia esse solet, catharticum exhibendum. Soleo in his doloribus purgans medicamentum cum oleo seminis lini recenter extracto immiscere bono cum fructu. Baglivius post multa de pleuritide dogmata cumulatè transcripta materiam hanc sic absolvit. "Considerent primo „an ab affectu verè inflammatorio producatur, an vero ab „apparatu pravorum humorum in primis viis, an demum à „fluxione acris humoris à capite, ut putabant antiqui, sive „potius in nostra sententia à sale acri tenui, urente, scor„butico, hypocondriaco, haemorroidali, herpetico, vel al„terius generis, aut characteris morborum principalium.... „In pleuritide verè inflammatoria & inflammationis causa „sanguis statim mittendus est....in ea quam primarum via„rum apparatus producit, & doloris signa circa praecordia „de se prebet, purgatio juxta praefatorum magnorum viro„rum praecepta instituenda....Demum si sal acris, scor„buticus, fundens, pleuritidem (dolorem lateris) faciat, cau„tè procedendum in sanguine mittendo.....Circa purgatio„nem tenenda sunt praecepta à Magistris artis supradictis „annotata (a)." Circa mutationem coloris in sanguine in hoc aphorismo tamquam normam extractionis propositam, Baglivii fuit sententia, crustam albam in secunda venae sectione apparentem bonam esse; quod si non appareat, abstinendum à sanguinis missione, cum eam repetere aegrum interficere sit (b). In hanc sententiam pedibus ivit Boerhaavius, qui finem extrahendi sanguinem crustae absentia definiri pronuntiat (c). Sed sapienter Vanwietenius: "certiora, inquit, „signa habentur de venae sectionis auxilio adhibendo ulte„rius vel non, ex acerbitate vel remissione doloris, & re„li-

(a) Bagliv. *Prax. Med. lib.* 1. *ca.* 9. *Append. ad pleurit. pag.* 29.

(b) Bagliv. *loc. cit. pag.* 23.

(c) Boerhaav. *Aphor. de Cognosc. & cur. morb.* §. 890.

„liquorum symptomatum, aegrotantisque viribus (a)."

XVIII.

Haemorroidas habentes neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagaedena, neque furunculis, neque terebinthi formam habentibus, fortasse neque lepris, fortasse autem neque aliis (corripiuntur). *Multi ergo intempestivè curati, talibus non cunctanter capti sunt & perniciose sic* (b).

Partes septo transverso proximae tum supra, tum infra, sanguinis repletioni, obstructionibus, variisque diathesis, & corruptionis humorum formis subjacent. Natura ab his per sanguinis fluxum ex naribus, haemorroidibus, per uterum in foeminis, exonerari cum fructu solet, indeque à pleuritide, aliisque in hoc aphorismo relatis morbis liberatur. Haec evacuatio, etsi consueta, deficit modo ob errata in victu, temperiei mutationem, Coeli statum: quod dum fit venae sectionibus, & medicamentis obstructionem & diathesim corrigentibus, impedienda mala ex ejus defectu superventura. Interdum deficit, quia naturae vis ad expellendum extinguitur, quod in debilibus, senibus, & quovis modo languentibus contingit, quo in casu nec sanguinis missio, nec purgationes praeservant à pleuritide aliisque morbis in textu propositis, sed diaeta reficiens, roborans, simulque vias obturatas aperiens, nisi forte non moriatur homo quia evacuatio cessat, sed cesset haec, quia homo sensim moritur, ut bene notat Vallesius (c). Hoc utilissimum in praxi monitum ad podagram, fistulas, fonticulos, & quasvis sanguinis humorumque consuetas excretiones trasferendum, rectè advertit Palladius in optimis Commentariis ad sextum librum Epidemiorum his verbis: "Si haemorroida compres„sisti, quod per ipsam prius effluat, per alios ductus emit„tere studeto, ut per venae sectionem, per exercitamenta, „per urinae citationem, ne multa retenta materia exitialem „mor-

(a) Vanswiet. *Comment. in Aphor. Boerhaav.* §. 890. *pag.* 39.

(b) Hipp. *lib.* 6. *Epid. sect.* 3. *text.* 33. & 34.

(c) Valles. *Comment. in lib.* 6 *Epidem. Hippocr. sect.* 3. *text.* 34. *pag.* 319.

„morbum inducat. Et quaecumque de haemorroidibus dic-„ta sunt eadem de qualibet evacuatione dicta putato (a). Experimento comprobatum habeo "verissimum esse haec „mala, nempe pleuritidem, &c. cum fiunt ob repressas in-„tempestivè haemorroidas perniciosiora esse, quam alioqui „esse soleant, unde fit ut in illa finiantur, & interimant (b)."

XIX.

Sane hi morbi ante pubertatem non enascuntur peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix ad tibiam, cruentum profluvium, cancer nisi congenitus, leuce non innata, catarrhus dorsalis, haemorrois, neque chordapsus nisi congenitus: de quibus morbis ante pubertatem futuris non est verendum (c).

AEtas puerilis plurimo humido leni, gelatinoso, sanguine non multo, abundans, concitationibus & collectionibus inflammatioriis ad pleuritidem & peripneumoniam necessariis prona non est, nisi causae extrinsecus incidentes, & maleficae, ut diaeta & aër ea vitia inducant, quod cum rarò admodum contingat (perpetuum enim non omnino esse quod in aphorismo dicitur, fateri oportet), monendi sunt Tirones, ut dum pueruli de lateris dolore conqueruntur, attentè inspiciant, num destillatio à capite, vermes, & putredines, acores in ventre hospitantes id mali genus pariant, nec facilè in tenera aetate ad venae sectiones, ut plurimum perniciosas, confugiant (d).

XX.

Siccae pleuritides & sputi expertes gravissimae: terrificae autem in quibus dolorifica sursum sunt mala (e).

Duobus modis fiunt siccae pleuritides sputo carentes. Aliae ab initiis sunt sine sputationibus, ita ulterius perseverantes, quod fit ob materiae summam cruditatem, aut ob via-

(a) Pallad. *Interpret. in lib. 6. Epidem. Hipp. sect. 3. text. 28. p. 226.*

(b) Valles. *loc. cit. pag. 319.*

(c) Hippocrat. *Coac. Duret. lib. 3. tract. 2. Append. sent. 1.*

(d) Vid. Duret *loc. cit. pag. 415. Physiol. nostr. tract. 5. prop. 32. n. 138.*

(e) Hippocrat. *Coac. Duret. lib. 2. cap. 16. sent. 3.*

viarum augustiam. Aliae sunt pleuritides humidae, sed cursu morbi exsiccantur retento sputo, quod à morbi malitia, ejus ad cerebrum aliasque partes translatione, aut improvida curatione nimium calida & exsiccante, contingit. Qui haec attentè consideret, quomodo aegrum pleuritide sicca affectum tractare debeat, planè intelliget (a).

XXI.

Adhibemus etiam ventosarum suis temporibus aptissimum adjutorium ... locis verò impatienter dolentibus etiam escharas ustionis impono, ita enim frequenter ad pleripneumonicorum non permittetur aeger vicina pervenire pericula (b).

Agit hic Priscianus de Pleuritide vera "nam dolentes la-»tus sine febribus (prosequitur), & caeteris accidentibus »pleuriticorum remotis, quos jam non pleuriticos, sed *la-»tus dolentes* propriè appellabo, ex subjectis alia diligentia »visitabo (c)", atque cucurbitulas, imò & caustica medicamenta parti dolenti, tamquam aptissimum adjutorium adhibet, & quidem rectè, cum in magna partis affectae repletione, ex interioribus ad exteriora copiam gravantem extrahere, simulque exitum materiae corruptae parare, seu per urentia medicamina, seu per scarificationes, optimum saepè aegris auxilium praestiterit. Hoc remedii genus Hippocrates ad varios morbos commendat, ac apud Auctores frequens illius in pleuritide fit mentio; Tironibus tamen Vallesii consilia apponere hac de re sufficiet, quippe omnium optimè tum scripto, tum opere id in usum restituere tentavit. "Sunt, inquit, qui in practicis tractationibus affirment, »non esse in pleuritide utendum cucurbitula antequam elap-»sus sit dies septimus. Quid si sit homo inflammationis mag-»nitudine septimo, aut etiam quarto moriturus? Ita etiam »saepè in eisdem inflammationibus internis cum revulsioni »non satis cederent, & timerem ne phlegmonis magnitudine

(a) Vide Martian. *Comment. in lib. 1. Hipp. de Morb. sect. 2. vers.* 238. *pag.* 167.

(b) Theodor. Priscian. *ad Thim. lib. 2. cap. 4. pag.* 299.

(c) *Idem loc. citat.*

„anticiparent mori, alternatè utens missione sanguinis secundum rectitudinem, & scarificatione ab admotis parti cucurbitulis, plurimos mihi videor mirificè eripuisse (a). Ego certè in doloribus circa quasdam partes consistentibus raró non utor cucurbitulis cum scarificatione, aut sine ea, cum dolor non cedit universali vocatae evacuationi . . . . ut morbus qui non potest expectare totam evacuationem, cum eam partiri opus est, alternatim secta vena, & cucurbitulis admotis perficiatur (b) . . . . Vulgares hujus temporis Medici reformidantes cucurbitarum usum, neque affigentes nisi jam moribundis, & qui revocari nequaquam possint, fecerunt id remedium infame . . falluntur certè quammaximè, nullum enim in omni magno dolore remedium magis praesentaneum, & ut à parte affecta in aliam ignobiliorem materia abscedat, saepè causa est (c)."

CAPUT V.

DE PERIPNEUMONIA.

PEripneumonia ex communi tum veterum cum recentiorum consensu est: *Inflammatio pulmonis cum febre acuta, & spirationis difficultate conjuncta, plus periculi quam doloris sub se fovens.* Ad morbos intemperiei & organi pertinet, quemadmodum de omni inflammatione in Pathologia monstravimus. In peripneumonia nulli dubium est pulmones affici, nunc dextra, nunc sinistra parte, non raró ex toto inflammatos, morboque comprehensos. At de pleuritidis sede non ita certum quid statui potest ut de peripneumonia, nam sicut haec sine laesis pulmonibus fieri non potest, sic illam interdum illaesa fieri pleura plures non de trivio Medici contendunt. Ab antiquis usque temporibus, ut ex Caelio Aureliano discimus (d), fuere, qui in omni pleuritide pulmo-

(a) Valles. *Comm. in lib. 6. Epidem. Hipp. sect. 2. text. 6. pag.* 287.

(b) *Idem Comment. lib. 3. Epidem. Hipp. sect. 6. text. 29. pag.* 113.

(c) *Idem Comm. in lib. 6. Epid. Hipp. text. 43. pag.* 178.

(d) Cael. Aurel. *Acut. morb. lib. 2. cap. 16. pag.* 115.

mones cum pleura affici statuerunt, ut inde non *pleuritidis*, sed *pleripneumoniae* nomen illi morbo quadrare crederent. Postmodum Medicinae Scriptores in varias abiere sententias, aliis solam pleuram, aliis etiam cum ipsa pulmones, aliis demum hos solos sine illius damno sedem esse pleuritidis, constituentibus. Quaestionem hanc eruditè & amplè tractat Morgagnus, omnium sententiam ad trutinam revocans, neque est quod crambem bis coctam recoquamus (a). Quod ad nos attinet, pleuritis interdum solitaria est, damno solam occupante pleuram (b): interdum cum pleura pulmones etiam laesi sunt, tuncque morbus suis signis mixtus ex utriusque partis laesionibus apparet, ut Medicus ex phoenomenis, dominationem prae aliis habentibus, an ad pleuritidem potius quàm peripneumoniam, & vice versa inclinet, agnoscere possit. Sed pleuritides cum fermè ex conversione in peripneumoniam, magnam partem lethales fiant, mirum non est in dissectis ex pleuritide cadaveribus pulmones saepè laesos (etsi non perpetuò) atque corruptos observari. Peripneumonia alia est primaria ex se incipiens: alia secundaria quibusdam morbis, ut anginae, febri ardenti, uteri inflammationi, pleuritidi, superveniens. Verum non est omnes aegros, quocumque demùm morbi genere pereant, peripneumonia sub finem interire, id enim ex hypothesi dicitur, non ex naturae observatione, nisi peripneumoniae nomen cuilibet dyspnoeae ultro quis tribuere velit. Dividunt aliqui peripneumoniam in veram ab inflammatione, & in notham ab humorum crudorum infarctu in pulmone ortam. Sed haec divisio ex arbitratu inventa, veram à Majoribus de hoc morbo acceptam doctrinam confundit, cum peripneumoniam sine pulmonum inflammatione agnoverint nullam: infarctum crassorum humorum cum febre ad catarrhum suffocantem, aut ad asthmatis incrementa retulerint, quae cum phoenomenis peripneumoniae minimè congruunt.

(a) Morgag. *de Sedib. & caus. morbor. lib.* 2. *epist.* 21. *num.* 37. *& seq. tom.* 1. *pag.* 217.

(b) Vide Martian. *Comment. in lib. Hippocrat. de Locis in homin. vers.* 261. *pagin.* 77. Morgag. *loc. citat. pag.* 117.

Causae occasionales plethora, obstructio, & diathesis mutuam operam in peripneumonia producenda sibi praestant. Sanguinis nimia copia in toto corpore, sed praesertim vasa pulmonum replens, seu ex alimentis, seu ex suppressis haemorroidibus, aut aliis excretionibus: humorum calidorum crassities in parte affecta haerentium, meatusque obturantium: certa atque determinata tum sanguinis, cum maximè humoris nativi pulmonum corruptio, cum calore simul conjuncta, ad hunc morbum generandum maximè faciunt. Quod si his accedat partis laesae debilitas, ut senibus iisque accidit, qui à natura thoracis conformationem incongruam adquisierunt, via paratissima est ad peripneumoniam nullo negotio suscipiendam. Inter efficientes causas primum locum tenet aër, tum manifestis qualitatibus, calore, frigore, humiditate, laedens, ut hyemis tempore, constitutionibus pluviosis, ferventissima aestate contingit, cum maximè occulta vi pulmones inflammans, ut in quibusdam epidemicis statibus fieri videmus. Diaeta intemperata, nimia ciborum potuumque spirituosorum copia, validis exercitationibus, improvidè prohibita transpiratione sudoris tempore, aquarum palustrium potu, peripneumoniam facilè procreat. Idem efficiunt venena, medicamenta calida & spirituosa in morbis pectoris, atque opiata tussientibus & catarrhosis sine methodo praescripta.

Peripneumonia saepè subitò ingruit, interdum corporis gravitas, difficilis anhelitus, sitis, pulmonum languor praecedere solent. Senes, & consistenti aetate vigentes, foeminas non minus quam viros adoritur. Ea incipiente, rigor: febris acuta cum halitu cutis: gravitas in pectore: dolor remissus in medio thoracis aut in lateribus, qui nonnumquam non nisi tussiendo percipitur: spirandi difficultas, tussis cum sputationibus biliosis, spumosis, cruentis: pulsus magni inflati, inanes, celeres, molliusculi, lingua alba, pallescens, muco obducta: frigidi tum aëris tum potus atrahendi desiderium: urina parum à naturali distans, nisi quod flammea non raro esse soleat. Crescente morbo, praeter haec omnia, accedunt frequens residendi cupiditas ob magis auctam spirationis difficultatem: genarum rubor tamquam florens: oculi splendentes cum languore: vigiliae cum sopore, ut co-

comatosus aeger videatur: nares simae in summo sunt: venae temporum grandescunt: lingua resiccatur: decubitus supinus: pulsus intercurrens. Peripneumonia in mortem, salutem, aut suppurationem terminatur. Igitur ea ad summum incrementi evecta, dum aeger in interitum vergit supradicta omnia graviora fiunt: sputa viridia, flava, nigricantia, aut pauca & ferme nulla: lingua crassa, sica, nigra, admoto digito adhaerescens, hiulca: vigiliae continuae cum somnolentia & torpore: sudor circa caput, collum, tempora: tussis inanis cum stertore, vultus & colli inflatio: alienatio mentis: extrema frigida, liventia: pulsus intermittentes, parvi, celeres, deficientes: indolentia maxima: resonans pectoris stridor, placida mors. At si morbus in vigore constitutus paulum remittere incipiat: febris minor sit & spirandi difficultas: sputa copiosa, alba, cocta, & facilè exeuntia: sudor calidus per totum corpus: mens tranquilla: ùrinae copiosae: alvus multis biliosis & spumantibus succis fluens: sanguis ex naribus aut per haemorroides excernatur: pulsus ordinati, parum celeres: his simul evenientibus quamprimùm aeger sublevatur; magna autem ex parte concurrentibus, sensim morbus salubriter finitur. Jam verò in suppuratum vergere facilè quivis agnoscet attentis phoenomenis, quae in historia pleuritidis in empiema transeuntis adduximus. Omnis peripneumonia morbus est acutus, & longissima stadium suum quatuordecim diebus absolvit, interdum quarto, frequenter septimo aut nono terminatur.

Curatio peripneumoniae eisdem intentionibus perficitur ac pleuritidis, congeneres enim morbi sunt, & partium vicinitate facilè alius in alium migrat. Ergo vaenae sectio statim imperanda, & pro re nata, repetenda, ita tamen ut non extrahatur sanguis usque ad aegri deliquium, nam id in pleuritide peripneumoniam, in peripneumonia strangulatum accersit. Cucurbitulae in pectore, scapulis, & lateribus magni hic usus sunt, modò simplices, modo cum scarificationibus. Interim ea medicamenta praebeantur, quae humores ad transpirandum attenuent, lubricos, fluxilesque ad extrudendum efficiant. Igitur aqua hordei adjecto nitro, aut avenae decoctum cum stibio diaphoretico post missiones sanguinis affatim bibendum est. Expectorantia in pleuritide adduc-

ducta hic potius locum habent. At in utroque morbo egelida praescribenda, qui enim frigidam aquam in his malis concedunt, neque qua ratione id efficiant assequi valeo, neque experimento confirmare. Vesicantium usus in pleuritide dubius quandoque est, nec omnibus negandus, nec perpetuo admittendus. Sed in peripneumonicis non cunctandum, imò citò ad crura, abhibitis cantharidibus, morbus ducendus, cum ex naturae praescripto peripneumonici natis in crure abcessibus liberentur. Circa purgantia, emetica, aliaque id genus medicamina, tenenda sunt quae agentes de pleuritide diximus.

APHORISMI.

I.

A pleuritide peripneumonia malum (a).

"Omnis hujuscemodi supervenientium consistentia, inquit Galenus, neque parvos neque mites insequitur morbos, sed magnos atque malignos..... Ad inflammationem quidem pulmonis pleuritis non admodum consequi solet, quoniam si mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per sputum (adde per sudores, sanguinis effusiones, alvi fluxum) expurgatur; in perniciosis verò antequam costae compatiantur, strangular aegrum (b)."

II.

A peripnoumonia phrenitis malum (c).

Phrenitis nomine intellexisse saepè Hippocratem morbum septi transversi, agentes de phrenitide monstravimus. Ergo dum inflammatio pulmonis ad diaphragma extenditur, atqueadeò delirium creat, non mali modo augmentum, sed mortem inde venturam significat. Vidi ex hac morbi serpentis communicatione non solum delirium, sed & convulsiones vehementissimas, & lethales supervenisse.

III.

(a) Hippocrat. *lib. 7. Aphor. sentent.* 11.

(b) Galen. *Comm. in lib. 7. Aphor. Hipp. text.* 11.

(c) Hippocrat. *lib. 7. Aphor. sent.* 12.

III.

Quibus ex peripneumonia sub auribus, vel inferis partibus nascuntur abcessus, ibique suppurant, & fistulantur, hi defunguntur morbo (a).

Peripneumoniam oborto in cruribus abcessu erysipelatoso sanatam aliquoties in praxi vidimus, miratique sumus consensum partium, quibus natura in morbis sanandis sequitur, nulla ingenii vi sed sola observatione assequendum. Hanc sententiam in Illustrationibus ad Hippocratis prognostica longè discussimus (b), ibique signa quibus agnosci possunt salutares peripneumoniae mutationes prope aures, aut ad crura sigillatim adduximus. Hoc naturae motu ad vesicantia ex cantharidibus cruribus applicanda ducimur, quae post sanguinis emissiones citò praescripta, miros in hoc morbo producunt effectus. Scimus quidem varias esse de hoc remedio in pleuriticis, & peripneumonicis adhibendo Auctorum opiniones, sed experientia artis magistra multis aegrorum sanationibus litem diremit. Videant Tirones de hac re Casalium nostrum non ratiociniis, sed observationibus accuratissimis, pro usu vesticantium in his morbis disserentem (c). Quibus tamen cautionibus vesicantia apponenda sunt, in Illustrationibus ad Hippocrates prognostica monuimus (d).

IV.

Peripneumonia pleuritidis succedanea gravior est primigenea (e).

Haec sententia in vulgatis codicibus sic legitur: *Peripneumonia pleuritidi succedanea tutior est primigenea*; sed cum morbus magnus alteri superveniens, ut in primo aphorismo vidimus, tum ob vires lacesitas, cum ob partis de novo obsessae praestantiam, tum demùm ob gravem quam secum vehit perniciem lethalis esse soleat, hinc cum Dureto modo

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 22.

(b) *Vide Illustr. ad Hipp. Prognostic. sect.* 2. *text.* 69. *pag.* 20[illegible].

(c) Casal. *Histor. Nat. de Astur. Constit. Epid. pag.* 242.

(d) *Vid. Illustr. ad Hipp. Prognost. sect.* 2. *text.* 72. *pag.* 2[illegible] *& seq.*

(e) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 28.

do proposito legendam sententiam Hippocratis judicamus.

V.

Quibus peripneumonicis tota lingua fit alba & aspera, pulmonis ambae partes inflammantur: quibus autem dimidia, tantum illa pars quae spectatur (a).

Mirabilem linguae cum pectore, cerebro, stomacho consensum in Pathologia monstravimus (b); sed in peripneumonicis lingua non modo brevitatem, aut longitudinem morbi, ut agentes de pleuritide vidimus, sed partis affectae damnum demonstrat. Memini aliquando in peripneumonicis dimidium linguae albescens primum (proprium enim est hujus morbi linguam albam & mucosam reddere), deinde resiccatum vidisse sub morbi initiis, eo autem progrediente totam linguam infectam summo aegri discrimine. "Si tale »malum, inquit Boerhaavius, utrumque pulmonem simul & »validè infecerit; erit cita & insuperabilis mors, cum nul»lo remedio antiphlogistico juvari natura queat (c)."

VI.

Pectora rubris maculis supersparsa peripneumonicis mortem subesse testantur (d).

Inversa, vi morbi, pulmonum temperies humores corrumpit, pravosque de novo generat (e). Si per sputum non ejiciantur, aliqua corruptorum humorum portio in cutem exsudat, ibique maculas, pustulasque rubentes excitat in hoc morbo lethales. Casalius noster in peripneumoniis epidemicis inter Astures vagantibus, irrevocabile hujus sententiae dictatum comprobat, cum eos omnes morti traditos viderit, quibus pectus & latera maculis rubris fuere interspersa (f). Fortè quas recentiores appellant miliares pustulas, &

(a) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 31.

(b) *Vide Pathol. nostr. tract.* 3. *prop.* XII. *num.* 53. *pag.* 502.

(c) Boerhaav. *Aphor. de Cognosc. & cur. morb.* §. 827.

(d) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *caput* 16. *sent.* 55.

(e) *Vide Pathol. nostr. tract.* 2. *prop.* 11. *n.* 48. & 49. *pag.* 491.

(f) Casal. *Histor. Natural de Astur. Tratad. de las Doctrin. y Sent. de Hipp.* §. 8. *pag.* 178.

& purpurae nomine indigitant, sunt quae in peripneumonicis & phreniticis supervenientes perpetuò mali ominis esse consueverunt. Nec in his tantum morbis, sed in aliis etiam mortem, antevertere hanc macularum eruptionem rectè monet Vanswietenius, hac demum, sui candoris teste, sententia concludens: „ Ex quibus patet in morborum prognosí ad „ illa omnia signa attendendum esse, licet fortè non adeò „ facilis appareat observanti Medico nexus, quem haec sig- „ na habeant cum re significata. Fidelis similium observatio „ usum habebit semper, rationem fortè dabit sera dies (a). "

VII.

Si sputum flavum sanguini non multo commixtum in iis, qui pulmonia laborant, inter initia spuatur, valdè utile est: septimo verò aut tardius minus securum est (b).

Dies critici in pleuritide & peripneumonia aperti adeò sunt & manifesti juxta leges ab Hippocrate adductas, ut temerarium prorsus sit velle eos in dubium revocare. Sputum flavum sanguini commixtum ante diem septimum aliquam coctionem significat, ut optimè dixerit Celsus „ non ter- „ reri convenit inter initia, si protinus sputum mixtum est „ ruffo quodam sanguine, dummodo statim sedetur (c). " Sed quae de sputis satis amplè adduximus agentes de pleuritide, ad peripneumoniam transferre oportet. Ab omni retro antiquitate exagitatum inter Medicos est, quibus viis sputationes in pleuritide fiant, cum eas non adhuc anatome demonstraverit. Galenus de hoc argumento adversus Erasistratum longe disputat, neque à vero abludit asserens, per exsudationem ex pleura & lateribus in pulmones, exinde per tracheam in os materiam sputorum confluere (d), non secus ac fit in vulneratis thorace, quibus mulsa per vulnus in pectus immissa ad os usque deducitur (e), quin obstet membranae pleurae densitas, cum viderit ipse in

 vul-

(a) Vanswiet. *Comm. in Aphorism. Boerhaav.* §. 848. *pag.* 704.

(b) Hippocrat. *lib. Prognost. sect.* 2. *text.* 50.

(c) Cels. *de Medicin. lib.* 2. *c.* 8. *pag.* 66.

(d) Galen. *lib.* 5. *de Loc. affect. cap.* 3.

(e) *Idem loc. citat.*

vulneratis ossibus sanguinem per membranam *periostion* illaesam transudare (a). Vanswietenius his attentè pensitatis, sententiaque Lancissii hac de re examinata, nihil utique asseverans, tum demum inquit: „ Sive jam materies morbi soluta, mobilisque reddita contiguum pleurae pulmonem, quandoque & in his morbis accretum ingrediatur (quae est opinio Galeni), sive per vanae sine pari propagines in asperam arteriam transeat (quae est Lancissii sententia), sive ex vena sine pari in cavam veniat (quae aliorum est haeresis), hinc in cor dextrum, & dein in pulmonem pulsa inveniat viam per vasa aërea pulmonis..... certum est per observata practica pleuritidem per sputa sanari...., sufficiat autem Medico, fideli observatione cognovisse, talem evacuationem factam esse, quamvis modum & vias non dilucidè intelligat (b). "

CAPUT VI.

DE EMPIEMATE.

EMpiema Graecè, Latinis suppuratio, apud Hippocratem puris collectionem in quavis corporis cavitate significat (c). Invaluit postmodum usus ut eam tantum puris collectionem indicaret, quae fit inter thoracem & pulmonem (d). Puris nomine intelligitur materia albescens, crassa, laevis, aliquantum faetens, nunc ex humoribus in tumoribus contentis, nunc ex pituita per ustionem, putrefactionem, ulterioremque assationem, vi naturae genita (e). Ergo empiema de quo nunc agimus est: *Collectio puris in cavitate thoracis.* Symptoma est in retentis excrementis, retinentur enim praeter naturae institutum, quae expelli expedit. Morbus hujus symptomatis generator, modo est inflammatio, quae sub se affectiones praeternaturales intemperiei, & organi includit: modò intem-

(a) Galen. *Comm.* 3. *in lib. Hippocr. de Articul. text.* 58.

(b) Vanswiet. *Comm. in Aphor. Boerhaav.* §. 888. *pag.* 28. *&* 29.

(c) Vide Foes. *OEconom. verb.* Εμπύημα, *pag.* 204.

(d) *Idem loc. citat.*

(e) Foes. *OEconom. verb.* Πύος, *pag.* 544.

temperies partium pituitam generans & calefaciens, aut destillationem disgregationem, & corruptionem hujus humoris inducens. Modus generationis is est, ut natura vi concoctrice & commutativa, humores in tumoribus inflammatoriis contentos, aut pituitam in aliqua parte detentam, alteret, & ulterius coquendo immutet; cum verò in alimentum ea materia cedere nequeat, in pus abit, quod ex his, quae in Institutionibus diximus, haud difficile concipi potest.

Causae occasionales plethora & obstructio, quae ad inflammationes, & pituitae colletiones tum ex destillatione & disgregatione, tum ex hujus humoris generatione in variis corporis partibus conferunt, ad empiema efficiendum disponere satis notum est. At cum in singulis inflammationum generibus certa detur diathesis in qualibet ipsarum diversa (a), proculdubio ad puris generationem in morbis pectoris, diathesim specialem maximè conducere nemo non intelligit. Inter causas efficientes aër omnium principalissima est ad empiema generandum, non tàm manifestis, quàm occultis viribus, quippe certis annorum temporumque constitutionibus, cum inflammationem, tum pituitam in pus, prae caeteris aliis, converti, observatione novimus. Diaeta & animi pathemata eatenus empiema creare possunt, quatenus ad inflammationes, & pituitae collectiones conficiendas conferunt.

Empiema praecedunt inflammatio laterum, pleurae, pulmonis: contusio, vulnera, sanguinis effusiones: harum partium dolores diuturni nullis remediis cedentes: pituitae collectiones seu ob destillationes, seu ob partium pectoris vitia & languores. Post aec sequitur puris generatio, quam comitantur febris interdiu levis, noctu fortior: tussiendi cupiditas cum nullo, aut certè parvo excreatu: dolores cum nova, & insolita gravitate acrius urgentes: respiratio admodum difficilis, interdum insoliti & vagantes rigores: sudores plurimi praesertim juxta collum & claviculas: venae sub lingua inalbescunt malae rubent: ciborum inapetentia cum potionis desiderio: vigiliae. Purè jam confecto, non tamen rupto abcessu, gravitas in parte afecta inest potius quam dolor, itemque ponderis sensus ut si eger in partem

 non

(a) *Vide Pathol. nostr. prop. 8. num. 36.*

non infirmam decumbat, veluti pondere onerari videatur: febris usque adeo remittit ut saepè etiam, prout sensus judicat, omninò desinat, reipsa tamen verè perpetuoque inest: oculi cavi redduntur: in manibus ungues incurvantur, summique digiti incalescunt: pedes tument: tussis sicca, parum humidi excernens: interdum pustulae per corpus erumpunt. At verò ubi jam turgens abcessus disrumpitur: homo languet, ut ferè in syncopam labi videatur: respiratio debilis fit, ipseque aeger offensus inspiratione, in sermone turbatur: pulsus interea debilis fit & tardus: quo casu, si vires impotentes nimium sint, aliaque signa non bona, homo citò celeriterque perit. Sed ne haec quidem, etsi horrenda videntur, terrere protinus debet, dummodò vires non sint radicitùs afflictae, signaque ex sputo & similibus bona cernuntur, ferè enim sequitur, ut haec turba paulò post ultro quiescat. Sed quae de abcessus ruptione diximus, in illo empiematis genere tantùm contingit, quae pleuritidem, peripneumoniam, aut quovis modo factam lateris inflammationem, consequitur. Suppuratio, quae ex pituitae collectione fit, empiematis phoenomena puris generationem comitantia secum etiam affert, etsi latenter lentèque morbus subrepat, neque acutiem ut in inflammatione habeat. Quoque autem modo jam prorsus confectum pus in cavitate thoracis contineatur, ea quae modò attulimus mala aegrum aggravant, & prout sors tulerit, aliis morbus in salutem, in mortem aliis terminatur. Si sputationes materiam in pectore contentam intra diem quadragesimum excernunt, aut, quod raro fit, per alvum & vesicam cum urinis ejiciatur: itemque eodem quo ruptio facta est die febris conquiescit, aeger appetit cibum, siti vacat, venter mollia, constantia, & probè figurata reddit, & pus facilè ac sine multa tussi educitur album, laeve, inodorum, ejudem per omnia coloris, atque pituitae omnis expers, citò sanitas expectanda est. Contra verò is perit, quem febris non deficit, aut cum demisisse putetur, iterum crescens invadit cum siti, ciborum inappetentia, alvo liquida, maxîmè cum pus extussitur ex virore pallidum, vel lividum, vel pituitosum, vel spumans, aut cum pus sub imbeciliis viribus copiosum est. Si verò ex his quaedam superveniant, quaedam verò non, quidam ipsorum moriuntur, quidam post multum tempus multosque labores evadunt. Empiema omne morbus est periculosus, & fermè lethalis, ex se, nisi quid

aliud

aliud accedat, longus, in tabem, nisi pectus quadraginta dierum spatio expurgetur, facilè transiens. Fereque sic incidit, ut ex suppurationibus aliarum partium juvenes, ex pulmone suppurato senes potius intereant.

In curatione empiematis diversa esse debet Medici intentio pro morbi temporum varietate. Dum pus conficitur medicamenta praescribere expedit suppurantia. Decoctum radicis altheae, symphiti, liquiritiae, aut ejus loco syrupus de althea Fernelii per intervalla, actionem naturae juvat. Juvant etiam exterius admotum parti affectae emplastrum de spermate cete, de mucilaginibus, aut filii Zachariae. Confecto jam pure ruptio adjuvanda ita tamem ut ad exteriora pus educatur. Igitur locus affectus ritè examinandus, & per molestiam, ponderis sensum, decubitum difficilem agnoscendus, imò & Hippocratis consilium in usum adhibendum, dum inquit: "In terra eretriade liquida, „ & valdè trita ac tepida linteum tenue tingito, eoque thoracem „ circumcirca integito, & qua parte primum resiccatum fuerit, „ ea secato, aut urito quamproximè ad septum transversum, ca- „ vendo tamen ne hoc ipsum laedas. Si verò voles ipsam terram „ eretriadem illinito, & similiter velut in linteo considerato(a)." Si ruptio fit in cavitatem thoracis paucissimi evadunt, (duos ex hac affectione sanatos vidi) si verò per ustionem, aut sectionem humor ad exteriora ducatur, multi sanitatem recuperant. Fatendum tamen, non facile pus ad externa duci posse, neque id in manu Medici esse; sed tentari debere pro faciliori exitu, tum veterum, cum recentiorum fidis observationibus monèmur(b). Ustionem, ab Hippocrate non uno tantum loco commendatam, lino crudo, & fungis parare veteres consuevere, eamque apud AEgyptios magno in pretio esse testis est elegantissimus, juxtaque accuratissimus Scriptor Prosper Alpinus in eximio opere de *Medicina AEgptiorum* (c). Hic tamen methodum urendi à Martiano adductam, utpote faciliorem, proponimus. "Accipia- „ tur linum crudum, & arcte conglobatum reducatur in formam „ pyramidis, cujus basis latior in angustum coarctetur. Magni-

tu-

(a) Hipp. *lib.* 3. *de Morb.* v. 364.

(b) Vid. Vanswiet. *Comm in Aphor. Boerhaav.* §. 895. *pag.* 56. *&* *seq.* *&* §. 1190. *pag.* 667.

(c) Alpin. *de Medic. AEgypt. lib.* 2. *cap.* 12. *&* 13. *pag.* 209. *&* *seq.*

„ tudinem seu latitudinem basis indicabit locus inurendus, non „ ignorato ustionem aliquantò latiorem fieri quam sit basis py„ ramidis. Haec igitur in summitate accensa loco inurendo ap„ ponatur, ibique resideat donec tota materia absumpta sit, nam „ ignis serpendo ad cutim perveniens ustionem facit, & quod „ mirum videtur, ferè insensibiliter & sine dolore. Extincto igne „ porrum elixum imponebat Hippocrates, donec quod exustum „ est, decidat: Nostri butyrum cum caule adhibent, indeque ul„ cus apertum servetur ad libitum (a)." Hoc remedii genus in ea suppuratione praecipuè confert, quae fit ob destillationem á capite, quam graphice descripsit Hippocrates, ejusque verba adduximus in Illustrationibus ad ejus prognostica (b). Quod si pus abcessu disrupto decidat in cavitatem thoracis, aut alio quovis modo in illa contineatur, ea sunt praescribenda medicamina, quae per sputum pectus expurgant, neque abs re erit ea immiscere, quae urinas movere creduntur. Juscula ex cancris, pullo galinaceo, viperis recentibus, cum gramine, haedera terrestri, floribus hyperici, aliisqui hujusmodi, locum hic habere possunt. Decocta ex vulnerariis, sanicula, vinca pervinca, scabiosa, liquiritia, ad expectorandum utilia sunt, sed fatendum, haec omnia, etsi communi Medicorum calculo probata, non multum opis aegris attulisse; nisi natura valida, viae expeditae, & materiae excernendae proportio rem utiliter prorsus conficiant. Cum ergo omnibus auxiliis, & viribus, tum artis, cum praesertim naturae, irritis, aegrum in certum exitium per proximam tabem, aut imminentem suffocationem tendere apparet, ab Hippocrate usque ad nostra tempora consultum est, thoracem secare per Chirurgi manus, pectusque aperire, ut per foramen pus in eo contentum excernatur. Hanc operationem, apud Hippocratem & posteriores Graecos primum, deinde apud recentiores longe descriptam, non est cur hic repetamus, cum ad Chirurgos ea releganda sit. Id tantùm Medici officium est, ut praevideat non esse tentandam in aegro debili, aut visceribus corruptis, vel ubi nulla jam spes est eum convaliturum. Neque pus unica vice extrahere permittat "nam sive aqua intercutem „ quem

(a) Martian. *Comm. in lib. Hip. de Affection. sect. 2. vers. 25. pag.* 214.

(b) *Vide Illustr. nostr. ad Hipp. Prognost. sect. 2. text. 52. pag.* 183.

» quem implevit, sive in magno abcessu multum puris coiit, si-
» mul id omne effudisse aequè mortiferum est, ac siquis sani
» corporis vulnere factus exanguis est (a), quod sanè consilium ex Hippocratis praescripto desumpsit Celsus, ita enim Senex loquitur: "Qui empiici, aut hydropici uruntur, aut secantur, hi
» pure aut aqua acervatim affluente, omninò moriuntur (b)."
Sed quid causae esse posit, ut ex evacuatione integra materiei in empiicis prorsus vitiatae mors sequatur, rencentiores explicare contendunt, speciosis quidem ratiociniis, sed systemate potius, quàm veris observationibus inconsultò deductis.

APHORISMI.

I.

Quibus anginam effugientibus ad pulmonem vertitur, in septem diebus moriuntur; si verò hos effugerint, suppurati fiunt (c).

"Hoc, inquit Gorterus, tàm evidens est in praxi, quám quid-
» quid certissimum......si vocamur in tali periculosa angina,
» omni ope tentanda est inflamationis resolutio, per repetítam
» venae sectionem si unicae non auscultat: alvus ducenda an-
» tiphlogisticis: collum fovendum cataplasmate: fauces colluen-
» dae diluentibus cum adjecto nitro: vapores aquosi saepè hau-
» riendi qui usque in pulmones penetrant. Sed si his omnibus
» ante septimum diem non auscultat malum, reliquum tempus
» morbi, ut peripneumonia suppuratoria, vel empiema, per-
» tractandum, ut pus confectum per expectorationem ejiciatur (d).

II.

Quae pleuritici facti non repurgantur supernè in quatuordecim diebus, his in suppurationem convertitur (e).

Cum lateris ínflammatio intra acutorum morborum terminum nec resolvitur, nec in gangrenam, aut alium morbum mutatur, aegro alioquin magnis symptomatibus oppresso, nec tamen

(a) Cels. *de Medic. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 73.

(b) Hippocr. *lib.*6. *Aphor. sent.*27.

(c) Hippocr. *lib.*4. *Aphor. sent.* 10.

(d) Gorter. *Medi. Hipp. lib.* 5. *Aphor.* 10. *pag.* 307. *Vid. supr. cap.* 1. *Aphor.* 3.

(e) Hippocrat. *lib.*6. *Aphor. sent* 8.

men lethaliter affecto, in suppuratum tendere sciendum est.

III.

Qui ex pleuritide suppurati fiunt, si intra quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur supernè, liberantur, si vero minus ad tabem transeunt (a).

Non ex formatione puris, sed ex ruptione abcessus; aut alio quovis modo facta puris in cavitate thoracis collectione, dies computandi sunt: "Si quis rogat, inquit Gorterus, cur postquadraginta tandem dies hoc fiat & non prius? Illa nimis astuta est „interrogatio, eo scopo excogitata, ut quidquid certe habetur „in Praxi reddatur ridiculum, nam invaluit opinio, quod qui non „potest reddere rationem alicujus rei, illa res censetur incerta, „aut nullius momenti. Quum igitur nihil certi de termino hoc „temporis possit proferri, quibusdam videtur hoc tempus ex „mente Hippocratis fuisse excogitatum. Verum ego omnino aliter sentio, nempe Hippocratem, uti & nos, & alios practicos „observasse pus in cavo pectoris effusum, si maneat ultra quadragintà dies, produxisse tabem, sed si ante istud tempus reddatur per sputum, raro intulisse tabem. Haec constans observatio non est opus ratione probetur, & qui hoc temporis stadium ratione conantur probare, inanem impendent operam, „nam si quis vellet ex natura examinata radicis bulbosae plantarum definire florendi tempus, rediculam navaret operam, quoniam tempora haec solis observationibus sunt detecta (b):" Quibus diebus ruptio fieri soleat, in Illustrationibus ad Hippocratis Prognostica delaravimus (c).

IV.

Qui suppurati uruntur, aut secantur, siquidem purum effluat pus & album, evadunt; si vero subcruentum, & coenosum, ac grave olens pereunt (d).

His aphorismis monemur, thoracis sectionem, aut ustionem multo ante quadraginta dies á ruptione abcessus esse instituendam, si forte occasio & necessitas eam postulant. Monemur etiam, ex

(a) Hippocr. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 15.
(b) Gorter. *Medic. Hippocrat. lib.* 5. *Aphorism.* 15. *pag.* 313.
(c) *Vid. Illustr. ad Hipp. Progn. sect.* 2. *text.* 61. *pag.* 190. & *seq.*
(d) Hippocr. *lib.* 7. *Aphor. sent.* 44.

ex puris qualitatibus partium interiorum via dignoscere, pus enim album, purum, inodorum, partes quibus conficitur bene moratas demonstrat, naturae enim vi & robore pus efficitur; ipsum verò coenosum subcruentum, grave olens corruptionem internam insuperabilem, atqueadeò mortem significat. Haec sententia eisdem ferè verbis posita est in Prognosticis, ibique eam explicavimus (a).

V.

Qui futuri sunt purulenti primum quidem expuunt salsa, mox dulciora (b).

Duo hic advertit Duretus notatu digna. Primum, dogma hujus aphorismi non esse universale. Alterum, intelligi debere ex destillationibus salsis, quae tum demùm in empiema transeunt, dum scilicet pituita salsa vi naturae in dulcem mutatur (c). Ergo salsae destillationes si mutantur in dulces faustis avibus, res est in tuto; at si sub ea mutatione febris, spirandi difficultas, thoracis gravitas, aliaque id genus symptomata appareant, aut increscant, purulentos fieri aegros, timendum. Videant Tirones quanti sit momenti gustum aegrotantium explorare. *Peste affecti*, inquit Boerhaavius, *hoc salutis signum certissimum habent, quando saporem salsum percipiunt. Ita ex Asia ad Boerhaavium fideles scripserunt amici.* (d). Addit Hallerus: *De febribus intermittentibus notissimum est, saporem salsum victum morbum portendere* (e). Haec, etsi extra nostri instituti ordinem adduci videantur, omnium Medicorum attentionem merentur, & quae ex doctissimorum hominum fide accipimus, ulterioribus observationibus confirmanda censemus.

CAPUT VII.

DE PHTHYSI.

P*Hthysis* aqud Graecos generaliter omnem corporis extenuationem, & consumptionem quovis modo factam signifi-

(a) Hippoc. *lib. Prognost. sect.* 2. *text.* 76. *pag.* 218.

(b) Hippocrat. *Coac. Duret. lib.* 2. *cap.* 16. *sent.* 41.

(c) Duret. *loc. citat. pag.* 268.

(d) Boerhaav. *Praelect. Acad.* §. 490. *pag.* 31.

(e) Haller. *in Not. ad loc. proxim. cit. Boerhaav.*

ficat, sicut *tabes* apud Latinos. Hippocrates sub eo sensu varias, & multiplices phthyseos species describit (a), ejusque imitator Celsus aliquas etiam corporis consumptiones sub tabis nomine explanat (b). At in praesenti, phthysis, tum etiam tabis nomen tantùm accipimus pro ea affectione morbosa, quae corporis emaciationem ex pulmonum vitio inducit. Ergo phthysis est: *Corruptio ulcerosa pulmonum cum febre, & corporis extenuatione conjuncta.* Morbus est in omni genere intemperiei vitiatae, tum in qualitatibus, tum in substantia: temporis autem progressu morbus unitatis solutae accedit per ulcera, quae cum sub initiis non adhuc omninò formata sed incipientia sint, proinde *per ulcerosam corruptionem* id indicare accommodatum duximus. Sunt qui in hac affectione morbum organicum includant, putantes tubercula adesse in pulmonibus, vera phthyseos incitamenta (c). Sed etsi non inficiemur, in cadaveribus hoc morbo defunctorum ea interdum visa esse, tamen vel morbi effectus, ut saepè fit, aut cum eo conjuncta, consideranda censemus, cum reipsa tabis pulmonalis vis & natura in certa pulmonum corruptione consistat, qua eorum substantia tum demum ulcusculis contaminatur. Pars affecta sunt pulmones, eorumque peculiaris substantia (d) cum vasis & bronchiis. Phthysis alia est brevis & acuta, quadraginta diebus metam suam absolvens: alia longa & diuturna aegrum lentè consumens, quod velim benè notent Tirones, ne vi hujus morbi celeriter interdum currentis fallantur (e). Solet etiam phthysis modo esse primaria, affectis per se pulmonibus: modo secundaria, ex aliarum partium vitiis in pulmonem traductis nata, ut phthysis scorbutica, hysterica, &c. Sed distinctio notabilis, etsi phthysim in varias species non dividat, ea est, qua in incipientem, & consummatam, seu, ut communi usu dici solet, confirmatam dividitur. Tria in hoc morbo stadia considerantur, va-

(a) Vide Foes. *OE onom. verb.* Φθινοδε, *p.* 654. Et Marinel *verb.* Tabes, *pag.* 318.

(b) Cels. *de Medic. lib.* 3. *c.* 22. *pag.* 167.

(c) Morton. *de Phthys. lib.* 2. *cap.* 2. *& seq.* Petr. Dessault. *Dissertatio de Phthys.*

(d) *Vid Physiol. nostr. tract.* 2. *prop.* 6. *num.* 33. *pag.* 53.

(e) *Vid. Illustr. nostr. ad* Hipp. *Epidem.* 1. *sect. tex.* 9. *pag.* 21. *& seq.*

variis phoenomenis inter se distincta; at *incipiens* phthysis primo tantum stadio circumscribitur: caetera confirmata comprehendit.

Inter causas occasionales plethora magnum hic locum habet, nam repletis vasis pulmonum nullo negotio calor & corruptio sequuntur. Sic vidimus homines robustos ex nimia sanguinis copia insperatò in phthysim incidisse. Sed plenitudo vasa rumpendo, & sanguinis sputum efficiendo, etiam phthysim creare consuevit. Nec novum est, ex abundantia sanguinis aliàs per haemorroides, nares, aut uterum exeuntis, postea suppressi & pulmones gravantis, fieri phthysim. Obstructio potentissima est hujus morbi occasio, etenim humores in pulmonibus detenti, ibique putrefacti, eos corrumpunt. Sanè obstructio pulmonum his modis fieri solet. Primum, cum haec pars debilis alimentum sibi proprium commutare ex naturae instituto non potest, fit enim ut in ea crudum existens corrumpatur. Deinde, si humor á capite destillans pulmones replet, infarciendo, & calefaciendo distemperat. Denique dum per metastasim ex aliis partibus in pulmones afferuntur humores biliosi, eos corrumpendo vitiant. Ita ex scabie retropulsa, variolis, aliisque quampluribus morbis phthysim generari vidimus. Sed neque plethora aut obstructio ex se satis ad hunc morbum disponunt, nisi accedat diathesis, qua per propriam & specialem corruptionem determinatus laedendi inducitur modus. Ex hujus diathesis vi acrimonia specialis nascitur, quae ipsam pulmonum substantiam vitiat, eamque ad ulcerosam corruptionem disponit, quam postmodum consequitur phthysis. Hinc fit ut morbus hic à parentibus ad liberos transeat, & integras interdum familias veluti quodam haereditario jure oppugnet. Eadem diathesis ad phthysim maximè eos disponit homines, quorum corpora gracilia sunt, pressi pectoris, colli longioris, scapulas alarum more prominentes habentia. Nec minori vi eos afficit, qui infirmos natura pulmones, mollesque, & tenellos, & languidos, & vitiatos habent, hi enim vel post sputum cruentum, vel sine eo tandem phthysi consumuntur. Inter externas causas omnium principalissima est aër tum manifestis, cum praecipuè ocultis viribus pulmoni infensus. Observatione novimus, nihil magis phthysicos, aut ad hunc morbum proclives laedere, quam magnas & inordinatas temporum mutationes, ut ex verò dixerit Hippocrates, Autumnum tabidis ma-

malum esse (a), ob continuas scilicet frigoris, & caloris vicissitudines. Ex ejusdem Senis auctoritate scimus, in epidemica constitutione ab ipso descripta huncmorbum prae caeteris aliis regnasse, ut facilè ex aliis malis in phthysim tunc fieret transitus, omnesque ferè ex aliis aegritudinibus confecti, ex ea demùm perirent (b). Diaetam improvidè usitatam, violentis exercitationibus, vini potu, veneris exercitio, aliisque jucundis sed lethiferis cupediis phthysim generare, plurimorum juvenum tristi exemplo novimus. Propterea non immeritò Hippocrates asserit, morbum hunc maximè fieri à decimo octavo ad trigesimum quintum annum (c), non quod senes omninò liberentur, sed quod juvenes ob intemperatam diaetam, & plethoram aetatis ratione cumulatam, in phthysim facillimè incidunt. Animi pathemata saepè phthysim induxisse in debilibus, experientia compertum est, etenim post moerores, iram, timorem, aliasque hujusmodi animi affectiones vehementes in foeminis, & delicatis, phthysim supervenire, non semel adnotavimus.

Phthysim antecedere solent, tussicula diuturna, nunc inanis seu titillatoria, nunc sputis salsis, crudis, inaequalis substantiae comitata, quae certius eam antevertit, si ultra annum durans aegrum cibos vomere cogit: aetas juvenilis: constitutio temporis humida destillationibus creandis accommodata: tempus autumnale: capitis destillatio in tracheam arteriam: raucedo pertinax: pulmonum caliditas cum languore: corporis gracilitas: vox natura exilis & clangosa: vitiosa thoracis conformatio, ea praesertim qua scapulae macrae prominent itemque malae rubescunt & collum longun nimis est. Jam verò praesens phthysis tria stadia saepè includit. Ex his prius incipientem, duo posteriora confirmatum morbum complectuntur, fereque sic incidit, ut aegri ultra secundum stadium non perdurent, affectionis vehementia occisi, interdum non nisi post tertium mors succedat. Igitur in homine disposito praeeuntibus signis propositis, ut saepè fit, aut sine his subito ingruente morbo, quod raro contigisse animadvertimus, incipiens phthysis haec secum affert: tussis adest molesta ardorem in gutture cum deglutiendi labore inducens: spu-

(a) Hippocrat. *lib.* 3. *Aphor. sentent.* 10.

(b) Hipp. *lib.* 1. *Epid. sect.* 1. *tex.* 9.

(c) Hippoc. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 9.

sputa nec̄ tussi respondent, nec aegrum allevant: pectoris gravitas: vox vitiata: febris lenta, noctu, interdum etsi non perpetuo etiam post assumptum cibum, ingravescens, quae tamen matutinis horis ita remittit, ut inexpertos fallat, cum reipsa nunquam aegrum deserat. Interea homo sensim extenuatur, vigilat, languet: pulsus parvi, celeres: inappetentia, cibi fastidium: ad motum aptus, etsi pallens, imbecillus, tussiens angore conflictetur. At ubi ad secundum stadium pervenit cum morbus jam confirmatur, praeter haec omnia difficilis accedit anhelitus: colliquatio sudoribus, sputationibus sese prodens horis praesertim matutinis: virium jactura: corporis marcor: febris ad acutam ferè accedens, inordinata tamen ut modò tertianas, modo erroneas aemulari videatur, imò aliquando aeger febre libet post noctem apparet, unde plures falluntur, reipsa enim aeger febricitat, hujusque morbi proprium est in secundo stadio hoc febrium genus continuarum sed inconstantium secum ferre, atque ob has febris remissiones accidere solet, quod hujusmodi phthysici etiam ab adstantibus pro deploratis habiti, sibi ipsis de futura sanitate egrigiè adulentur, adeo ut qui vespertinis horis non aliud quam fatale prognosticum de sese habere consueverant, sequentibus tamen matutinis semper animum erigant, spem longae vitae sibi vanè concipiant. Interim symptomata peripneumonica vigent, & ferme inflammationis indicia sese produnt, atque non rarò contingit, ut crescente febre, spirationis difficultate, colliquatione, collapsis viribus, accedente delirio, mors demum in hoc stadio post paucos dies peripneumonicorum instar superveniat. Quod si aeger secundo superato stadio, quod intra quadragesimum plerumque diem absolvitur, ad tertium accedat, febris lenta, minusque incrementis notata deprehenditur: pulsus celeres, parvi: ciborum aversio, sitis augmentum: sudores nocturni: angor, intolerantia: per tussim ejiciuntur sputa livida, atra, pallida, ex albo viridi mixta, lata, rotunda, glutinosa nunc inodora, saepè graveolentia: vox rauca: cervix gracilis, rigens, intenta: digiti tenues, eorum ventres rugosi & lati, at articuli prominentes: nasus acutus, gracilis: malae extantes, rubidae: oculi cavi: lucidi, micantes: tempora collapsa ut facies excarnis, pallida, seu livida, aliquantum tumida fiat, brachiorum musculi non apparent: costas non solum dinumerare perspicuè licet, verumetiam ubi desinant intueri facile est: cutis vix ossibus haeret,

ret, ut in omnibus demum cadaveris imago repraesentetur. His laboribus alvi fluxus metam imponit, quippe sub hoc statu superveniens aegrotantibus, actum est. Atque cum mors certissima sit, satis anceps fallaxque novissimus vitae articulus est, mirari enim subit quod in hoc morbo tenor quám pro corpulentia major est, animi verò alacritas & constantia tenori potentior; nec rarum est, collapisis prorsus viribus aegro ispso loquente, atque res omnes intelligente, adstantibus ne quidem cogitantibus, in eorum manibus interire. Porro phthysis omnis morbus est lethalis, neque ullam sanationis spem relinquit nisi in primo stadio, eamque incertam & ambiguam. Senes raró adoritur, sed minime evadunt. Pueri assiduè tussi usque ad phthysim nonnumquam divexati, ad sanitatem tamen redire consuevere. Ex aliis minus convalescunt & virgines & hae foeminae quibus principium morbus ex retentis menstruis sumpsit.

Phthyseos curatio in praecautione ferè omnis consistit, etenim danda opera, ut ejus accessus arceatur, sin minus dum incipiens est nec adhuc confirmata debelletur. Purgationes, vomitiones, aliaque id genus evacuandi formae prorsus ablegandae; Medicamenta quae *antiphthysica* apud pharmacopolas nominantur, speciosis titulis exornata, parum aut nihil opis attulisse novimus. Tria tantùm sunt remedia adversus hunc morbum, nempe cortex peruvianus, peregrinatio, & lactea diaeta: haec enim si debitè praescribantur, optatum effectum aliquando produxisse, experientia compertum est. Quoties igitur ex febribus tertianis, erraticis, mesentericis, aliisque hujusmodi nimium molestantibus, metus phthysis imminet, cortice peruviano theriaca mixto oppugnanda est, interimque aprico caelo aeger committendus, & mutatione loci, bona diaeta, animi quiete & alacritate refocillandus. Consulendus hac de re Mortonus accuratissimus phthyseos observator, in eo solum deficiens quod plurima medicamentorum farragine gaudeat (a). Quod si ex aliis morbis ut scorbuto, lue venerea, alvi affectionibus diuturnis, arthritide, transitus fiat in phthysim, ut saepè contingere solet, oportet primum morbum oppugnare, simulque pectoris partes ita curare, ut decubitus in pulmones impediatur, eorumque corruptio om-

(a) Mort. *de Phthys. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 75. *& lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 7.

omni ope prorsus vitetur. Juscula nutrientia, roborantia, ex herbis & medicamentis his affectionibus excludendis accommodatis longo usu continuata omnem hic adimplent paginam. Jam vero incipiente phthysi, nihil caeteris proficientibus auxiliis, aeger peregrinatione sanandus. "Opus ergo si vires patiuntur „longa navigatione, caeli mutatione, sic ut densius quam id est „ex quo discedit aeger, petatur, ideoque aptissimè Alexandriam „ex Italia itur (a). Praeterea, inquit Plinius, est alius usus „multiplex, principalis verò navigandi phthysi affectis, aut san„guinem egerentibus, sicut proximè Annaeum Gallionem fecis„se post Consulatum meminimus. Neque enim AEgyptus prop„ter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi (b)." Galenus hos aegrotantes mittebat ad Tabias prope Vesuvium in Neapolitano Regno, quod is locus, & inclinatione ad meridiem, & vicinia maris ac Vesuvii montis ignem vomentis, aërem haberet sicciorem (c) „Sed omnibus aliis, inquit Sydenhamius, „quotquot adhuc inventa sunt, equitario ad satis longa & diu„tina itinera facilè palmam praeripit, hoc observando, ut si „aeger juvenilem aetatem praetergressus fuerit, plus temporis „huic exercitationi impendere debet, quám si puer aut juvenis „esset; & sanè haud multo certius cortex peruvianus febri inter„mittenti, quam in hac aetate phthysi medetur (d)." Lac quoque quod in capitis doloribus, & in acutis febribus, & per eas facta nimia siti, ac sive praecordia tument, sive biliosa urina est, sive sanguis fluxit, pro veneno est, in phthysi tamen sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis rectè dari potest (e). Postquam Aretaeus eleganter lactis facultates ad hunc morbum praedicat „si quis, inquit, multum lactis potat, nullo alio eget „alimento, in morbo enim bonum medicamen est lac, ejusdem & „alimentum efficitur (f). „Sed solo lacte phthysicos nutriendos ex

(a) Cels. *de Medic. lib. 3. cap. 22. pag.* 169.

(b) Plin. *Natural. Histor. lib.* 31. *cap. 6. pag.* 557. Vide etiam Plinium Juniorem, *l.* 5. *epistol.* 19. *p.* 385.

(c) Galen. *Method. medend. lib.* 5. *cap.* 12. *& seq.*

(d) Sydenham. *Proc. integr. de Tuss. & Phthys. pag.* 241.

(e) Vide Hippocrat. *lib.* 5. *Aphorism. sent.* 64. Et Cels. *de Medic. l.* 3. *cap.* 22. *pag.* 170.

(f) Aret. *de Curat. morbor. diuturn. lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 127.

ex veterum mente (diaetam lacteam nunc vocant (eruditè, ut solet, monstravit Petitus in Commentariis ad Aretaeum (a), Quod si lactis usus propter delicatam viscerum, stomachi praesertim, constitutionem, locum habere non possit, ejus sal dulce ex descriptione Pharmacopoeae Matritensis praescribendum, aut aqua restaurans vulgo *de la Palata*, aliaque id genus medicamina, quibus pharmacopolae, imò & barbitonsores, & mulierculae abundare solent, sed ea magna ex parte inania, nuliusque fere frugis esse dolenter dicimus.

APHORISMI.

I.

A sanguinis sputo puris sputum, malum (b). *A puris sputo phthysis & fluxus: postquam verò sputum retinetur, moriuntur* (c).

Bene Mortonus distinguit duplex sanguinis sputum, *accidentale* nimirum, & *habituale*. Illud vocat sanguinis per os profluvium á vociferatione nimia, exercitio, vehementi tussi aut ab haemorragiae solitae suppressione natum, idque rarissimè in phthysim terminari ait. Hoc à vitiosa, acri, & fermentes cente sanguinis diathesi dependere affirmat, ita ut penu & fomes morbi semper intus delitescat, atque phthysim fatalem, & incurabilem saepisimè inducat (d). Sed si ex sanguinis spuitionibus puris sputum, indeque tabes sequatur, sciendum „quod pus expuisse in „hoc morbo, deinde ex toto spuere desiisse, mortiferum est (e)"

II.

Autumnus tabescentibus malus: malum autem & ver, cum sunt fici folia pedibus cornicis similia (f).

Phthysici, qui caetera anni parte traxerunt, autumni tempore ferè moriuntur; si verò ulterius trahant, incipiente vere, seu sub Aprilis initia interire consuevere, quod Hippocrates ad ea

(a) Petit. *Comm. in loc. cit. Aret. pag.* 289.

(b) Hippocrat. *lib.* 7. *Aphorism. sent.* 15.

(c) Hippocrat. *lib.* 7. *Aphorism. sent.* 16.

(d) Morton. *de Phthys. lib.* 3. *cap.* 5. *Pag.* 96.

(e) Cels. *de Medicin. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 72.

(f) Hippocrat. *lib.* 6. *Epidem. sect.* 7. *text.* 12. *Vide etiam lib.* 3. *Aphor. sent.* 10.

ca tempora, quibus fici folia cornicis pedibus similia sunt, observatione edoctus ex vero rejecit. Hanc sententiam verissimam esse propria experientia confirmavit Casalius, atque consueto candore fatetur, ignorare se quid causae esse possit, ut phthysici non quavis veris parte, sed ea tantum intereant, qua fici folia cornicis pedibus similia sunt, etsi rem ita se habere pluribus à se adductis experimentis noverit (a).

III.

A tabe detento alvi profluvium superveniens, lathale (b).

Alvi fluxus tabidis modo ob imbecillitatem naturae supervenit, eosque citò consumit: modo ex colliquatione, quae etsi eos diutius trahere sinat, tum demum extra spem omnem interficit. Sed ita comparatum est, ut datis adstringentibus medicamentis celeriter suffocetur aeger: his non praescriptis, vita longius protrahatur.

IV.

Quibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt, hi, alvi fluxu superveniente, moriuntur (c).

Capilli in quibusdam morbis sponte defluunt post crisim, evacuata scilicet corrupta materia, quae eorum bulbos per morbum occupavit. At in phthysicis non solum per summam humoris acrimoniam, sed & naturae impotentiam defluunt pili, indeque fit, ut superveniente per languorem alvi fluxu citò intereant. Omnia haec eleganter comprehendit Celsus his verbis: "In tabe sputum mixtum purulentum, febris assidua, "quae & cibi tempora eripit, & siti affligit in corpore tenui, "periculum subesse testatur. Si quis etiam in eo morbo diutius "traxit, ubi capilli fluunt: ubi urina quaedam araneis similia "supersidentia ostendit, atque in sputis odor foedus est: maxi-"mè ubi post haec orta dejectio est, protinus moritur (d).

(a) Casal. *Histor. Natur. de Astur. Tratad. de las Doctrinas de Hippocr.* §. 3. *pag.* 148.

(b) Hppocr. *l.* 5. *Aphor. sent.* 14.

(c) Hipocrat. *lib.* 5. *Aphorism. sentent.* 12.

(d) Cels. *de Medicin. lib.* 2. *c.* 8. *pag.* 71.

CAPUT VIII.
DE PALPITATIONE CORDIS.

P*Almos* Graecè, Latinis *palpitatio*, generatim comprehendit motum partium mollium corporis ut membranarum & musculorum, quo alternis quidem vicibus elevantur & considunt praeternaturam. In palpebris, foemore, hunc palpatationis motum interdum observare licet. Sed cum cor musculosa compaginetur substantia, ut in Physiologia mostravimus, atque partium mollium interstitia spiritu repleantur aut ichore (a), haud difficile est interdum à causis praeternaturam elevari, & deprimi. Ergo palpitatio de qua hic loquimur est: *Alterna, & praeternaturalis substantiae cordis elevatio, & depressio ab spiritu intus coercito exitum quaerente, facta.* Etsi motus dilatationis & compressionis ventriculorum cordis variis modis immutetur, non tamen inde cor palpitare dicimus sed pulsare; at si ipsa cordis musculosa substantia elevetur & deprimatur, eum motum palpitationem appellamus (b). Verum quidem est, palpitare non posse cor, quin ejus motus pulsantes immutentur ob necessarium actionum ejusdem partis connexum, sed quemadmodum in ventriculo singultus, in cerebro sternutamentum, in thorace tussis, in oesophago oscitatio, sunt actiones speciales ab usu earum partium diversae, sic in corde palpitatio motus est ab actione pulsandi distincta. Pertinet igitur palpitatio ad symptomata actionis depravatae facultatis naturalis expellentis, quae in corde haud secus, ac in reliquis corporis partibus, residet. Morbus hujus symptomatis generator est modò genus omne intemperiei, modo organi vitium, ita tamen ut spirituosa portio cordis substantiam ejusque calidum humidumque nativum constituens, sit praecipuè vitiata. Non raro cor palpitat per affectionem ipsi propriam, interdum aliunde derivatam, ut cum ex ore ventriculi, hypocondriis, utero malum communicatur.

Ex causis occasionalibus plethora ad cordis palpitationem plu-

(a) *Vid. Physiol nostr. tra. 2. prop. 6. n. 34. & prop. 11. n. 65. p. 100.*

(b) Vide Galen. *de Rigor. tremor. palpit. cap. 5.*

plurimum facit, monente Actuario, qui de hoc morbo non inepte tractavit. (a). Neque audiendus Galenus qui palpitationem omnem à frigore reduxit (b), cum eam ex calida cordis intemperie in scorbuticis, atrabile vexatis, post suppressas sanguinis excretiones (c), plethora disponente, videamus. Obstructionem in cachecticis, flatuoso morbo affectis, herpete, aliisque cutis foeditatibus, ansam cordi ad palpitandum praebere experti novimus. Hùc referenda aqua pericardii, tubercula, concretiones humorum, aliaque id genus multa, ad hunc fovendum morbum accomodata. Sed omnium maximè diathesis ad hoc malum producendum confert, cum plethora, aut obstructio ex se non potius ad hanc, quàm ad alias cordis affectiones disponant. Ergo corde nimium repleto, ejusque spirituosa substantia speciali diathesi vitiata, quod sibi molestum est expellere nititur, quod non potens naturali modo perficere, utpote à rebus praeternaturam molestantibus agitatum, motibus violentis id efficit. In Physiologia monstravimus, motum omnem à substantia spirituosa produci, quae rectè aut inordinatè operatur juxta causas & dispositiones, quibus aut ex naturae instituto, vel praeter naturaliter excitatur ad agendum. Sed quaenam est illius diathesis indoles, quae cor ad palpitandum disponit? Fatemur ingenuè id captum nostrum superare, atque abundè sufficere ad usum practicum intelligere, variis diversisque laesionum formis spirituosam substantiam vitiari, varias etiam inde nasci operationum praeternaturalium productiones (d). Inter causas efficientes aër si pestilens, temporum certis constitutionibus alteratus, fodinis, vaporibus, venenosis halitibus, infectus sit, palpitationem in corde debili & disposito nullo negotio inducit. Diaeta etiam atraebili, flatibus, crudis, calidisque humoribus generandis apta, tum os ventriculi laedendo, cum maximè sanguinem certa corruptione & acrimonia vitiando, cordis palpitationem inducere apta nataque est. Sed frequentissima palpitionum

(a) Actuar. *Method. medend. lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 227.

(b) Galen. *lib. de Rig. tremo. palpitat. cap.* 5.

(c) Vide Freind. *Histor. Medicin. in Actuar. pag.* 209.

(d) *Vide. Patohol. nost. tract.* 2. *prop.* 8. *num.* 36. *pag.* 462.

num causa sunt animi pathemata, ira scilicet, timor, moestitia, laetitia insolita, & id genus alia, quae cum spiritibus cordis praecipuè operentur, eos in motus palpitationis facillime adigunt.

Palpitatio cordis est ex eorum morborum genere, qui per vices ex certis intervallis repetere solent, ipsique solemne est per quietem corporis intermittere, ac superfluis laboribus, meraciore vino, concubitu, balneis, atque animi passionibus recrudescere. Omnium aetatum homines adoritur: sed praesertim eos qui quadragesimum attigere annum, nondum tamen ad quinquagesimum pervenerunt, vexare consuevit. Post morbos acutos sine bona crisi solutos: erysipelati, herpetibus, cutaneis morbis subjectos: scorbuticos: hypocondriorum, uteri vitiis contaminatos: atrabile ventriculum, lienem, sanguinem occupante, laborantes: debili & imbecilla cordis fabrica, seu à principiis generationis, seu ex laboribus & animi affectibus adquisita constitutos, prae caeteris molestare solet. Dum cor palpitat, & aeger, & Medicus, & assidentes visu & tactu percipiunt, saltus namque species in sinistra thoracis regione manu applicata apparet, quae usqueadeò interdum crescit, ut modò visu, modò costarum percussionibus, & à sua ferè sede dimotarum, percipiatur. Interea pulsus agitatus, celer, inordinatus, inaequalis est: quod non modo in brachiorum ex tactu, sed & in juguli ac temporum arteriis conspici datur per visum: respiratio vitiata: facici color pallidus cum maestitudine: angor summus: sudatiuncula: nausea saepè & vomendi desiderium, nonnumquam & bilis vomitus his accidit. Palpitationis paroxismus nunc in quietem salutarem, nunc in mortem terminatur. Ergo si aeger trahit, atque sensim praedicta omnia minui incipiant, erigaturque animus cum virium tolerantia, alacritate, pulsusque meliori statu, spes est morbum esse depellendum; quod si allata symptomata diutius perseverent sine levamine, periculum repentinae mortis ostendunt. Scire autem expedit, pessimam esse omnem palpitationem quae crebro incidit, seu quae post menses aliquot, vel etiam post annum recurrit, eos enim omnes ante senectutem morte praeveniri observatum est, alios acutis febribus consumptos, alios (quod saepius contingit) praecipite syncopa raptos. Nec desunt qui citra syncopam veluti apoplexia tentati repentè extincti sunt, etsi fateamur oportet, palpitationem

ut

ut plurimum syncopam antecedere, & in eam facilè converti.

In paroxismo palpitationis praesentaneum remedium est venae sectio ex brachio, id enim remedii genus praeterquamquod in omnibus morbis prodest, qui cum agitatione & calore spirituum conjuncti sunt, observatione Galeni primùm (a), deinde Actuarii à Freindio confirmata constat caetera alia in hac cordis affectione superare (b). Neque incongruum est, venam bis aut ter secare dummodo longè absit, syncopa, nec multum sanguinis singulis vicibus extrahatur. Interea leves crurum frictiones, & lotiones, cucurbitulae ad foemora applicatae, unctiones ad regionem cordis exterius ex oleo Matthioli, & aliis vulgo cardiacis appellatis admotae, ex usu esse consuevere. Interius ea praescribenda medicamina, quae motus nimios sedare, & cor roborare valeant. Confectiones Gentilis, hyacinthorum, alkermes: pulveres coralli rubri, matris perlarum, cornu cervi: medicamentum ex viperis, quod vulgo *bezoardicum animale* audit: aquae stillatitiae borraginis, viperinae, rosarum: aliaque id genus multa sub forma potionis, ex arte, non omninò inutilia censenda. At finito paroxismo omni opera incumbendum, ut reversiones inhibeantur, quod ut Medicus efficiat morbum oppugnare debet, à quo palpitatio nascitur, per remedia ei tollendo accommodata, ita tamen ut venae sectionem non omittat, & cordi roborando prospiciat. Pro palpitationis à viscerum obstructione nascentis curationem Ludovicus Mercatus Professor Pincianus, ob egregia in medicam artem merita perpetuò commendandus, laudat syrupum chalibeatum ut probatae efficaciae remedium (c). Ex ejusdem fide id remedium commendat Carolus Piso (d). Sed cum eorum temporum more plurima medicamentorum farragine hic syrupus consarcinatus sit, proinde vellem ejus loco tincturam chalibis ex Pharmacopoea Matritensi, vel liquorem ex nitro & marte substituere, si quid enim ex eo remedio sperandum, in chalibe rectè praescripto potissimum consistere intelligo.

APHO-

(a) Galen. *d Loc. affect. lib.* 5. *c.* 2. Vide Actuar. *loc. proxim. citat.*

(b) Vide Freind. *Histor. Medicin. loc. supra citat.*

(c) Mercat. *de Inter. morbor. curat. lib.* 2. *cap.* 11. *pag.* 235.

(d) Pis. *de Morb. à Colluv. seros. sect.* 3. *cap.* 2. *pag.* 196.

APHORISMI.

I.

Palpitatio cordis pluribus integra valetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis subito sine alio manifesto accidente evenire visa est, atque omnes eos sanguinis detractio juvit (a).

"Mesuaeus, inquit Ballonius, de sectione venae loquens in »palpitatione, ex hypothesi loquitur: Arculanus etiam ad syn»copem usque exclusivé in palpitatione sanguinem mittit: An »propterea imitando istorum senum consilium audacter san»guis mittetur? Nequaquam. Nam eorum qui palpitationi sunt »obnoxii ita comparata ratio est, ut *brachybioi*, id est, brevis »vitae sint, ac saepè in phlebotomiis ipsis, & purgationibus »opprimantur, & moriantur: quod cum calamitosum sit, pru»dentis est Medici diligenter inspicere, ne suspicionem subeat »ejus ut occisi, quem sua sors peremerit (b)."

II.

Palpitatio cordis aut per se evenit, aut quadam significatione, quod in humore cor ipsum movetur; neque enim mirum videri debet tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente cor tunica, ut ipsum ne attollatur impedire possit (c).

Multa inventa sunt, in cadaveribus palpitatione defunctorum, quae, an morbum produxerint, an ex eo producta sint. dubitari potest. Sed qui lucem ex his desideret, videat Bonetum in *Sepulchreto*, & Morgagnum, longè, suis locis, de his disserentes. At verò ut omnis dubitatio tollatur, notandum cum experientissimo Dureto, quod duae sunt causae (occasionales dispositivas intellige) palpitationis in universum, una quae fit per oppressionem, altera per apulsum (d). Ad primam referuntur aqua pericardii speciali diathesi corrupta, non enim, ubi ea aqua exundat, semper in promptu est palpitatio: sanguinis copia: obstructio: inflammatio: tuberculum: aliaque id genus multa. Ad secundam pertinent flatus, halitus ex liene,

(a) Galen. *lib.* 5. *de Loc. affect. c.* 2.

(b) Ballon. *Consil. Medicin. lib.* 1. *cons.* 109. *pag.* 392.

(c) Galen. *lib.* 5. *de Loc. affect. c.* 2.

(d) Duret. *Schol. in Holler. de Morb. intern. l.* 1. *cap.* 29. *p.* 289.

ne, ventriculo, utero, aliisque partibus communicati. Haec omnia consideret Medicus, ut quid facto opus sit, probè intelligat.

III.

Atque palpitatione cordis planè liberati sunt, qui post sanguinis missionem usi sunt victu & medicamentis, quibus esset extenuandi facultas (a)

Videas homines delicatos, ataxia spirituum laborantes, hypocondriis male affectis, aut pulmone nimium calido, in cordis palpitationem facilè proclives. Idem contingit mulieribus chlorosi, cachexia, scorbuto, aliisque hujusmodi malis, oppressis. Remedio his omnibus est victu uti exsiccante, & cor roborante. Juscula ex viperis, rasuris cornu cervi & eboris, becabunga, nasturtio aquatico, & iis similia mirè prosunt. Prodest etiam à potu abstinere, sitim tolerare (cor enim in multis flaccescit, & amittit suam soliditatem ac firmitatem (b), à nimio potu) "nec vinculis, nec adstrictis vestibus corpus comprimere (c)." Quod si bibere necessitas ex calore, & squallore compellat, aqua pura vino austero permixta optimum potum praestabit. Interim omnia alimenta crassi succi, praesertim ex carnibus ac piscibus desumpta, si fieri potest, omnino fugienda.

IV.

Cavendum itaque obnixè à nimia defatigatione, quae tantum mali (palpitationem cordis) *corpori dat* (e).

Post ludum pilae, aliaque intempestiva & vehementia exercitia, exhausto & nimium defatigato corde, alios palpitatione prehensos, alios syncopa celeriter obiisse, tristes observationes commonstrant. Ergo ab omni exercitatione nimia tum mentis, tum corporis cavere debet, qui diris his morbis proclivis esse potest.

V.

At nihilominus hic (palpitatione cordis vexatus) *quoque ante senectutem morte praeventus est, sicut & reliqui omnes* (e).

In historia morbi adnotavimus, palpitatione cordis laboran-

(a) Galen. *lib.* 5. *de Loc affect. c.* 2.

(b) Duret. *loc. prox. citat.*

(c) Holler. *Schol. in lib.* 1. *de Morb. intern. cap.* 29. *pag.* 285.

(d) Tulpius *lib.* 4. *observat.* 20. *pag.* 310.

(e) Galen. *lib.* 5. *de Loc. affect. cap.* 2.

rantes non consenescere, & acutis morbis, aut syncopa, vel apoplecticorum more interire. Quod etsi verum sit, nihilominus Sanctissimum Virum Philippum Nerium, hoc morbo affectum, usque ad octuagesimum annum servatum esse novimus (a), ut inde sciamus vitam justam, virtutum omnium genere, abstinentia, temperantia, & sanctitate ornatam, ad longaevitatem conferre, mundanosque homines deliciis, victu opiparo, vita lauta, mortem clanculum advocare. Scimus etiam celebrem Mathematicum de La-Hire, ut jam vidimus, palpitatione cordis penè confectum, per quartanas supervenientes fuisse sanatum, ut intelligamus, naturam non pharmacis, sed saepe unum morbum alio depellere (b).

CAPUT IX.

DE SYNCOPE.

CUm non satis constet apud Auctores de variis veterum nominibus in hujus morbi explicatione, in ipso tractationis limine expedit ea breviter exprimere, ut Tirones ex eorum lectione fructum capere possint. Atque in transitu advertendum, singulas nos in hoc opere affectiones in classe morborum, aut symptomatum collocare, prout earum conditio petere videtur; attamen in orationis progressu omnes fere sub morborum nomine exprimere visum fuit, tum quod symptomata vehementia vices morbi habent, ut in Pathologia vidimus, cum praesertim, quia hodie ita fert communis loquentium usus. Ergo *Syncope*, aliis *Syncopa*, vocabulum recentioribus Graecis usitatum, vetustis incognitum, idem significat, quod apud Hippocratem *ecclysis*, virium scilicet exsolutionem summam. *Lipothimia* vi vocis animi defectionem, *lipopsichia* spirituum dissolutionem exprimit. Apud Latinos non satis haec distincta habentur, ea enim omnia sub uno *animi deliquii* nomine explanantur, nam *synthexes*, & *synthectica* apud Plinium, tabem & extenuationem potius, quam syncopem significare verosimile est

(a) Bonet. *Sepulchr. lib. 2. sect. 8. observat. 27. pag. 835.*

(b) *Histoir. de l' Academ. Royal des Scienc. ann.* 1718. *Vide supr. p.* 105.

est (a). Sed mirari subit Graecorum diligentiam, singula atque diversa naturae phoenomena distinctis vocabulis exponentium. Lipothimia corripiuntur, ex eorum mente, quibus, integris aut parum lassatis viribus, animus deficit, dum diffidentia & fermè desperatione conflictatur. Sic videre est melancholicos, hystericas foeminas, viros etiam fortes, dum malo prehenduntur, ita animo deficere, ut nihil nisi mala imò & mortem sibi imminere credant, ut propterea nullum consolationis genus admittant. Lipopsichia vexantur, qui spirituum ataxia praediti, per morbos facilè languescunt, & dissipationem patiuntur. Ex his, seu lipothimia seu lipopsichia afficiantur, videas aliquos in sensuum ferè extinctionem parvis de causis incidere, ut in foeminis hystericis observamus, sine magna virium jactura, nisi vis morbi post eas affectiones syncopam inducat. Ergo ecclysi, seu syncope correptos indicant, qui virium exsolutione ita dissolvuntur, ut raro mortem effugiant. Sed cum vires modo sensim, saepè subitò concidant, omnisque moriendi modus virium exsolutione contingat, hinc syncopam nunc sensim, nunc subitò vires prosternere, & mortis causam generalem atque perpetuam esse, tenuere; quae etsi vera sint, nihilominus communi nostrorum Scriptorum more lypothimia, & lipopsichia primus syncope gradus significatur, quae cum prorsus confirmata est, syncopa dicitur. Igitur syncope est: *Integra virium exsolutio, saepè subita, interdum lenta cum extremi corporis frigiditate, & sudore, omniumque vitae functionum imminutione.* Dum per temporum certas constitutiones, aut alia quavis causa, subitò quis exsolvitur cum frigiditate, & sudore, syncope occupatus: cum vires deficiunt, ita ut nec frigiditas corporis nec sudor adsit, actiones tamen vitae imminuuntur, lipothimia, lipopsichia, seu animi deliquio prehensus, judicatur, tuncque lipothimia quasi via ad syncopam est, haec verò tunc adest, cum virium exsolutio seu subita, seu lenta cum sudore & frigiditate extremi corporis copulatur. Syncope morbus est intemperiei in vitiata partium substantiâ, cum enim vires in calido innato, humido radicali, & spirituum tum insitorum, cum influentium praesentia & constitutione

(a) Plin. *Hist. Natur. lib.* 28. *cap.* 9.

consistant, ex eisque componatur ipsa partium substantia, & temperamentum (a), consequens est, ut hac vitiata atque corrupta, vires collabantur atque deficiant. In Physiologia agentes de affectionibus spirituum in morbis: postea in Pathologia virium jacturam, perpetuum omnium morborum consectarium, exponentes, viam huic tractationi stravimus; propterea ab his, quae abundè monstravimus, repetendis supersedemus. Pars affecta in omni syncope est cor, ita tamen ut in morbo primario malum in ipso firmum haereat, in secundario aliunde recipiat, ac licet nulla sit in corpore pars, quae ob necessarium cum corde commercium syncopem non possit inducere, tamen ex utero, hypocondriis, & maximè ex ore ventriculi male affectis saepè provenire, experientia discimus.

Causae occasionales plethora, obstructio, & diathesis sic disponunt ad syncopam, ut opprimendo, corrumpendo, aut dissipando substantiam partium & spirituum, viam huic morbo facillimam parent. Nimia sanguinis copia in vasis cordi proximis, ea praesertim quae ex suppressis evacuationibus nascitur, opprimens atque suffocans spiritus, syncopam inducere solet. Obstructionem vias occludendo, seu ex nimio alimentorum & potuum usu, seu ex convulsionibus, doloribus, inflammationibus, aliisque hujusmodi malis proveniat, cordis vires opprimere, atque sic syncopam producere, frequenti observatione innotescit. At immodicas sanguinis, aliorumque humorum excretiones, labores, exercitationes, balnea, concubitus, vigilias, animi pathemata, inediam, morbos diuturnos, febres ardentes, aliaque id genus incommoda, syncopam & dissipationem producere, omnibus notum est. Sed syncopam ab assumptis venenis, febre maligna, certis temporum constitutionibus, scorbuto, affectione hysterica, atrabile natam, ex corruptione oriri nemo inficiabitur. Atque notare expedit, saepè plethora, obstructione, & diathesi simul concurrentibus dirum hocce malum emergere. Inter efficientes causas omnium praecipua est aër, qui modò nimio calore, saepè occulta vi cordi infensus, syncopam producit. Notat Sydenhamius incipiente peste, nonnumquam, etsi raró, homi-

(a) *Physiolog. tract. 2. prop. 10.*

mines alioquin sanos repentè exanimatos in foro mortuos concidisse (a), atque certa annorum constitutione morbum hunc vipere, me observasse memini. Sed aërem eum producere effectum, certa & incognita corruptionis specie laedendo cordis substantiam, quivis intelligit. At diaeta omnibus modis syncopam creare solet, seu quantitate nimia cibus potusve opprimant, seu prava qualitate corrumpant, id certum est, eorum improvidum usum syncopam in dispositis corporibus generare. Quod si his exercitationes addas tum mentis, tum corporis, vigilias, inediam, venena, aliaque ad diaetam spectantia, in promptu est, ex eorum intemperato usu syncopam induci. Animi pathemata, si quid aliud, ad hunc morbum generandum faciunt, cum enim ea in spiritibus vires suas exerant (b), facile est, talem producant morbum, qui in iis vitiatis, dissipatis, aut oppressis praecipuè consistit. Sic ex longo moerore, terrore subito, ira, laetitia insolita, quosdam in syncopam lethalem incidisse, ex fidedignis Auctoribus novimus (c).

Syncopa interdum subitò, nullis antecedentibus signis, hominem exanimat, quod sub magnis aestibus, aut in pestilenti constitutioni contingere consuevit. Sed cum post alios morbos, labores, & incommoda saepè finem vitae afferat, scire expedit, calidos homines, spirituum ataxia debiles, solutioni ac colliquationi humorum pronos, aestatis tempore, post iteratas cruditates, vinolentiam, balnea, moerores, huic morbo concipiendo maximè dispositos esse. Quod si his accedat febris ardens, maligna, colliquativa: cholera morbos: vomitus post coenam: sanguinis aut aliorum humorum fluxus nimius: oris ventriculi morsus, dolor, fastidium: animi abjectio, syncopam inde venturam timendum est. Praesens syncopa, si valida fuerit, exhaustis subito viribus, frigiditate corporis & sudore, celeriter hominem rapit; si verò lentè ingrediatur, animi subest deliquium sub initiis: extrema frigere incipiunt: sensus, motusque languent: pulsus celeres, parvi, imbecilli: res-

 pi-

(a) Sydenham. *Observ. Medic. sect.* 2. *cap.* 2. *pag.* 18.

(b) *Vide Pathol. nostr. tract.* 2. *prop.* 10. *num.* 45.

(c) Vide Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 12. *pag.* 850.

piratio parva & insustentabilis: loquutio rara, impotens, tremula: facies pallida: oculi concavi, lingua humida, interdum sicca cum desiderio frigidi potus. Interea mente constant firma ac pura, ut non tantùm praesentia, sed & futura saepè praedicant, totius naturae tenor ac firmitas collapsa ruunt. Crescente morbo & in syncopam confirmatam abeunte, his omnibus accedit totius corporis frigiditas: sudor primum circa caput & frontem, dein per universum corpus: spitatio frigida, etsi febris urentissima comitetur: visus obscuritas: vultus foedus, ac pallens qualis hominis emortui: pulsus parvissimi, deficientes: caput in humeros, aut pectus delabitur: quae omnia brevi placida & inevitabilis mors consequitur. Syncope omnis morbus est acutissimus, ut ad diem quartum, quae longior est, extendatur, saepè tamen breviori spatio, imo & paucarum horarum termino interimat. Sub initiis, si nec inflammatio viscerum, febris ardens, evacuationes immodicae, constitutio pestilens, fomitem morbo dederint, curationem recipere potest; at si confirmata quovis modo fuerit, lethalis esse consuevit.

In curatione syncopis id perpetuo tenendum, cito nullaque interjecta mora, sub ejus initiis, omnia artis auxilia in usum esse adducenda, eaque praesente, prima & principalissima Medici intentio in id collimare debet, ut vires sustineat, quibus refectis & syncope progressus impeditur, & ejus causas removendi locus conceditur. Jam vero cum vires in spiritibus insitis in substantia partium solidarum, & influentibus praecipuè consistant, ut in Physiologia vidimus, atque in hoc morbo continua adsit eorum exsolutio, necesse est, naturae vim omni artis molimine sustinere, & spirituum exsolutioni resistere. Ergo statim jusculum, non quidem unica vice magna copia, sed parum & saepe propinandum, in eoque aquae theriacalis guttulae immiscendae. Nec inutile erit, jura ex carnibus animalium teneris componere additis viperis, quae & spiritus restaurant, & corruptioni opponuntur. Interea potiones (julapia vocant) ex confectione Gentilis, de hyacinthis, Alkermes, syrupis de borragine, viperina, cortice citri, aliisque, pro re nata, cum aquis stillatitiis rosarum, plantaginis, & similibus, componi possunt, ut ex intervallis eas cochleatim assumant. His magno cum fructu addi possunt guttulae spiritus salis, aut nitri dulcis, nihil enim aeque dissolutionem impedire, experientia compertum

tum est. Communis obtinuit usus, ut calida & vehementia, pro syncopa debellanda, praescriberentur remedia, ut spiritus aromaticus oleosus Silvii, tinctura aut oleum cinnamomi, spiritus salis ammoniaci, aliaque id genus ex chimia deprompta; sed fatendum, ea medicamina, violenter naturam agitando, aliquid opis attulisse prima facie, sed in recessu magna peperisse damna, cum sudores, colliquationem, exsolutionem, calorem promoveant: atque experientia edoctus affirmo, nunquam aegros me vidisse, ex syncope frigidos, ejuscemodi remediis calorem recuperasse, quin potius cum interno aestu, intensiori frigiditate labefactatos novi. Exterius applicata in hoc morbo medicamina non parvi usus esse consueverunt. Igitur aër cubiculi omni arte curandum, ut sit frigidiusculus: ori ventriculi apponendus panis, vini & succi agrestae aequis partibus imbutus: cordis regioni ex usu est aquarum melisae, rosarum, plantaginis, croco intinctarum, pannis lineis applicatio: naribus admovenda spongia aceto, & vino imbuta: crurum partiumque extremarum frictiones leves conferunt: atque ita prout necessitas postulaverit, nihil omittendum, quod ex veterum & recentiorum consilio prodesse planè constiterit. Circa venae sectionis usum in syncopa, magna est Auctorum dissensio videnda apud Herediam nostrum & Freindium (a); sed ne Tirores oneremus variis, & discordantibus sententiis, nostra opinio est, in syncopa hoc remedii genus numquam sine temeritate praescribi posse, etsi malum ex suppressis sanguinis evacuationibus ortum duxerit. Fateor, utilis est venae sectio ad syncopis praecautionem in casu plethorae (b); sed morbo jam praesente, aequè temerarium est extrahere sanguinem ad spiritus nativumque calidum recuperandum & fovendum, ac purgans medicamentum ei exhibere, qui ob nimium ventris fluxum exhaustus succumbit. Neque commodum unquam ex quibusvis evacuationum generibus sperare licet, quin potius omni ope innitendum, ut humorum exsolutio coerceatur.

APHO-

(a) Hered. *de Morb. acut. sect.* 5. *disp. unic. cap.* 3. *pag.* 148. *& seq.* Freind. *Hist. Medic. ann.* 560 *pag.* 160. *in Alexand.*

(b) Vid. Petr. Sal. *qui de Sincop. à sanguine eleganter tractavit de Affect. particularib. cap.* 4. *pag.* 219.

APHORISMI.

I.

Qui frequenter ac fortiter sine causa manifesta exsolvuntur, repente intereunt (a).

Tres hic Hippocrates requirit conditiones, quibus certa repentinae mortis prognosis erumpit. Si ergo quis *frequenter, fortiter*, *sine causa manifesta* exsolvatur, certè repentè moritur. Exsolvitur quis vehementer sine causa manifesta, ubi nullo praecedente morbo, evacuationibus, constitutione temporis maligna, veneno, &c. citò vires amittit, pulsus languent, corpus concidit ferè sine sensu & motu, vultus pallet, partes extremae refrigerantur, frons & collum glutinoso sudore perfunduntur; quae si frequenter contingant, subitanea mors certò expectanda est. Plurimis causis id malum tribuunt Auctores, sed nondum de iis, utpote occultis, planè constat. Verisimile tamen est, cordis debilitatem huic exsolutioni ansam praestare, quod ideo monemus, ut quibus fieri possit auxiliis ea pars muniatur.

II.

Calidum eo frequenter utentibus has affert noxas: carnis effoeminationem: nervorum impotentiam: mentis torporem: sanguinis eruptiones: animi deliquia, &c. (b).

Etsi Hippocrates calidae aquae exterius admotae damna hic recensere videatur (desumpta enim est haec sententia ex ejus libro de *humidorum usu*) tamen de calore hypocausti, longa insolatione, atque immoderata ad ignem excalefactione intelligi etiam debere optimè notat Tozzius (c), imò & de nimio calefacientium, spirituosorum, ac aromaticorum usu aphorismum loqui, rectè monet Gorterus (d). Sed nulli dubium est, quin de aëre nos ambiente praecipuè intelligendus sit, cum in magnis aestibus omnia in textu recensita mala ex ejus nimio calore sentiamus. Animi deliquia, quandoque & syncopam aestivis tempo-

(a) Hipp. *lib.* 2. *Aphor. sent.* 41.
(b) Hipp. *lib.* 5. *Aphor. sent.* 16.
(c) Tozz. *Comment. in lib.* 5. *Aphor. Hipp. sent.* 16. *pag.* 41.
(d) Gorter. *Medice. Hipp. lib.* 5. *sentent.* 16. *num.* 3. *pag.* 314.

poribus, & sub hypocaustis calidis quosdam prehendisse experti novimus, sine ullo sensibili morbo, forte ob defectum refrigerii cordis, quod malum sub aëre frigido citò dissipari consuevit. At calor interdum, ardente Syrio, syncopam inducere solet per febrem ardentem, lypiriam, choleram morbum, cardialgiam: idque mali genus, hos morbos debitè & ex lege artis oppugnando, vitandum est. Discant hinc homines, parce admodum omni tempore, sed aestatis praesertim, vivere, labores, caloresque, nimios vitare, sobrie in omnibus, maximè in cibis potibusque, se gerere, si à gravissimis hisce malis velint liberari.

III.

Nulla regio est aut urbs, quae non singulis ferè annis videat deleatque aliquem ex incolis, sanum alioqui, valentem, & firmo habitu & ab omnibus externis immunem injuriis, concidere de repente, & respiratione vitaque prope momento privari (a).

Singulis annis observatas habeo mortes subitaneas in magnis eorum mutationibus, sed praesertim circa solstitium hibernum. Contingunt suffocatione, apoplexia, aut syncope, ita tamen, ut suffocationes in aequinoctiis, apoplexia fortissima solstitio hiberno, syncope aestivis temporibus potissimum homines aliquos repentè jugulent. Lancissius in optimo tractatu *de mortibus subitaneis* hanc observationem confirmat (b). Ergo ad tanti mali praecautionem perpetuò observandum Divinissimum Salvatoris nostri monitum: *Attendite autem vobis ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitae: & superveniat in vos repentina dies illa* (c).

IV.

Emergit autem frequentius (cardiaca passio seu syncope) *quinta, vel sexta die in febribus continuis, vel ardentibus, atque flammatis* (d).

Duplex genus febrium paratum est ad syncopem, tamquam symptoma *epigenomenon*, inducendam. Alterum continuatum: al-

(a) Carol. Pis. *de Morb. ad Illuv. seros. sect.* 3. *cap.* 1. *pag.* 182.

(b) Lancis *de Mortib. subit. lib.* 1. *cap.* 20. *pag.* 69.

(c) Luc. *cap.* 21. *vers.* 34.

(d) Cael. Aurel. *Morbor. acutor. lib.* 4. *cap.* 31. *pag.* 147.

alterum intermittentium. In continuis febribus, ardentibus, lypiriis, malignis, sub certis annorum constitutionibus, supervenire solet syncopa, idque frequentius circa quintum aut sextum diem. Has febres Avicenna *syncopales humorosas vocat* (a), atque ex his quae in hujus morbi historia tradidimus, an syncope superventura sit, Medicus agnoscet. In intermittentibus, sub accessionum initia, interdum syncopa ingruit, quod adnotavit inter primos Mercatus noster summo aegrotantium beneficio in tractatu incomparabili de *Febribus perniciosis*. Hanc fortè Avicenna syncopalem minutam vocare solet. (b) Igitur si in febre continua periculum est superventurae syncopae, abstinendum à venae sectionibus, & quibusvis evacuationibus: atque frigidae aquae, acidorum, & absorbentium usu id malum praecavendum. In intermittentibus, nulla expectata mora, in ipsa accessione cortex peruvianus magnis dosibus praescribendus.

(a) Avicen. *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 2. *cap.* 52. *pag.* 426.

(b) Avicen. *loc. citat. cap.* 53. *pagin.* 427.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita.
Lucret. de Rer. Natur. lib. 3. vers. 11.

FINIS.

